






VITAE
ITALORUM

DOCTRINA EXCELLENTIUM

QUI SAECULIS XVII. ET XVIII. FLORUERUNT.

VOLUMEN II.

AUCTORE

ANGELO FABRONIO

ACADEMIAE PISANAE CURATORE.





PISIS MDCCLXXVIII.
EXCUDEBAT CAROLUS GINESIUS

SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.

FERDINANDO
ARCHIDUCI AUSTRIAE
MEDIOLANENSIS DUCATUS
AC MANTUANI GUBERNATORI ETC. ETC.

ANGELUS FABRONIUS.

DEcorum imperio, gloriosum Tibi favere litteris & saeculo, ne sterile sit & effoetum. Profecto

nisi insideret cura in Principibus, ut gloriae & praemiorum stimulis excitarentur hominum animi, languerent ac prope interirent omnes ingenuae artes ac disciplinae. Macte, PRINCEPS REGIE, hac beneficentiae omnisque virtutis laude, ac Tibi ipse gratulare, quod benefacere ex consuetudine jam in naturam verteris. Ad maximas, quas omnes boni Tibi impertiuntur, laudes sine me non meas modo, sed & plurium Sapientum virorum adjungere, de quo-

rum vitis cum ſcribendum ſuſceperim, illos quodammodo excitaſſe a morte videbor ad litterarum Patronos, quibus nunc in primis gloriamur, concelebrandos.

INDEX VITARUM

QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

CLEMENTIS IX.

VITA

AD JOSEPHUM ROSPILIOSIUM

ZAGAROLI DUCEM.



Acturum me operae pretium arbitror, si Clementis IX. mores resque gestas perscribam, quippe qui regnandi sapientia & studio in litteras bonasque artes nemini fortasse concessit. Obruuntur saepe hominum interitu, & oblivione posteritatis extinguuntur vita, mores factaque eorum, per quos partum auctumque imperium est; bonae leges, praeclara instituta, ardens studium excitandi homines ad laborem & gloriam consequi aeternitatem quamdam videntur. Ex quo fit, ut perpauci Romam adeuntes de factis inquirant aut Gregorii VII. aut Bonifacii VIII. cum omnes scire cupiant, quid gesserit Leo X., qua ratione tot ornamenta Urbi comparaverit, & illa lumina omnis praeclarae artis atque doctrinae aut genuerit,

aut provexerit. Profecto haud in dubium revocari poteſt, ſi Principibus propriarum rerum tanta cura eſſet, quanto ſtudio aliena aut parum aut nihil profutura petunt, quin magis regerent caſus, quam regerentur, & melius famae ac gloriae, populorumque, quos ſibi divina providentia regendos dedit, proſperitati eſſent conſulturi. Hac mente Roſpilioſium fuiſſe, facile ex ejus hiſtoria apparebit; quapropter illo imperium capiente, non ſpem modo ac votum felicitas publica, ſed ipſius voti fiduciam ac robur aſſumpſiſſe videbatur. Non licuit illi tamen niſi pauca ob vitae brevitatem perficere; praeterquamquod nemo ignorat eam eſſe rerum humanarum naturam, ut tardiora ſint remedia quam mala; & ut corpora lente augeſcunt, cito extinguuntur, ſic ingenia ſtudiaque oppreſſeris facilius, quam revocaveris. Reliquit ſane praeclara exempla Succeſſoribus imitanda; & nomine ipſo tanti Pontificis admonentur omnes illius geſta, ut ad ſui temporis gratiam, ſic ad memoriam ſpectare debere poſteritatis. Quod ſi reputaveris, quibus temporibus Pontificatum Maximum adeptus eſt, eo magis ip-

ſum laude dignum judicaveris, quod Reipublicae partes unus omnes conſilio, cura, providentia complexus ſit, quodque egregiis viris gloriae virtutiſque flammam in pectore accendere curaverit. Infinitae, concertationumque plenae diſputationes rerum divinarum ſcientiam turbabant, partiumque ſtudium omnia permiſcebat; ipſa religio armaverat ſe contra philoſophiam, ubi haec diuturnam poſt ſervitutem extollere jam caput, & aliquando recreata ſe erigere debebat; in adminiſtratione Reipublicae non erat populo conceſſa libertas, ut quod vellet ſuarum rerum faceret; non certae leges, cum omnia plerumque ad unius paucorumve arbitrium collata eſſent; ſcientia morum novis quotidie errorum monſtris contaminabatur; dominabanturque homines, quos ad falſas & turbulentas opiniones, & ſuperſtitiones pene aniles excitandas natos dixiſſes. Oratores Chriſtiani totos ſe tranſtuliſſe videbantur ad turgidum & inane orationis genus, ad inverecundas allegorias atque metaphoras; omninoque ignorabant, quid ſimplex ratio veritatis exigat, ut ſe in hominum animos inſinuare poſſit: ipſi

ſaepe ex Virgilio & Ovidio ſuorum dictorum teſtimonia producebant; contra ea cauſſarum Patroni diſputationes ſuas SS. Auguſtini & Hieronymi ſententiis confirmabant. Nihil dico de poeſi, quae, ut eloquentia, omnem colorem ſuum & ſuccum miſere perdiderat. Iisdem ineptiis fucoque puerili, quibus humaniores litterae, infici coeperunt pictura, architectura, ceteraeque ſimiles artes; & nemo in his mediocriter verſatus ignorat Borrominium magni ceteroquin ingenii architectum cum Marinio quodammodo comparari poſſe. His adde malis, quod ambitio atque avaritia magis quam antea animos hominum exercebant, quibus dominantibus minime probitate & induſtria, ſed divitiis & ſumptibus inter ſe contendebant; non virtuti honos; non divitiis & potentiae modus; & plerique ad magiſtratus gratia & largitionibus potius, quam bonis artibus nitebantur. Sed piget pluribus praeteritorum malorum memoriam repetere, quod nimio ſtudio aut reprehendendi eos, qui peccavere, aut laudandi illos, qui remedia attulere, dictum videri poteſt. Itaque quod ſuſcepimus aggrediamur.

Pistorii Etruriae in Urbe nobili & perantiqua ortum habuit Clemens, qui tum Julius nominatus est, V. Kal. Februarias an. a reparata salute MDC. patre Hieronymo, matre Catharina Rospiliosiis. Ac de hujus gentis nobilitate ac splendore, deque rebus a majoribus gestis, quoniam illae sunt a nostrae Civitatis historiarum scriptoribus litterarum monumentis consignatae, minus multa arbitror recensenda. Satis mihi erit commemorasse Thaddaeum Milanesii filium virum optime de patria meritum, a qua cum equestrium pedestriumque copiarum accepisset imperium, anno MCCCXXX. pro defendenda arce Montis Catini strenue cum Florentinis pugnavit; Joannem qui cum duceret copias Florentinorum & Pistoriensium, qui Martino V. favebant, Urbem Veterem Narniamque illius nomine cepit; Battum seu Joannem Baptistam, qui castra Gallorum adolescens secutus in bello Mirandulano singularia virtutis indicia edidit, cujusque opera adeo aestimata fuit in bello Parmensi, quod a Paullo III. P. M. gestum est, ut illo confecto classi Pontificiae praefectus fuerit. Ac non minus illustres homines tulit

gens Rospiliosia, qui artes pacis comites otiique socias coluerunt, quorum aemulum & imitatorem se fore vel a teneris annis ostendit Julius. Primum ejus industriae curriculum domi fuit, alterum in Seminario Romano apud Jesuitas, tertium Pisis, ubi per quinquennium magnum studium, multamque operam in philosophiam, theologiam ac jurisprudentiam contulit. Honores vero illos, qui amplissimi, confecto studiorum cursu, decerni solent, Pisis consecutus est an. MDCXXIII. cum antea hoc ipso anno docuisset e superiori loco in eadem Academia philosophiam, extraordinarii, ut loquuntur, Professoris munere fungens (1). Ex multis, quos habuit, magistris Julius tum Romae tum Pisis, in primis commemorandos esse puto notos atque insignes homines Famianum Stradam & Benedictum Castellium, a quorum altero in humanioribus litteris, ab altero in philosophia eruditus fuit. Plurimum etiam, dum Pisis fuit, frequentavit Paganinum Gaudentium virum Graecis Latinisque litteris in primis doctum; qui quidem quanti faceret Rospiliosium maxime epistola illa declaravit, qua ipsi opus suum *de componendis*

& evulgandis libris cum quibusdam Latinis epigrammatibus dedicavit. Talibus doctrinis excultus Rospigliosius Romam venit, sperans se posse in nobilissimo orbis terrarum theatro honori velificari suo. Et sane qui illum noverant omnia summa de eodem augurabantur, quod nulla esset trium illarum rerum, in quibus fere verti dicitur virtus, quarum una est in perspiciendo quid in quaque re verum sincerumque sit, altera in turbatis animi motibus cohibendis, tertia in utendo moderate & sapienter iis, quibuscum versamur, in quibus non excellere putaretur Julius. Applicuit vero se ad claros & sapientes viros bene de Republica sentientes; frequens erat cum Luca Holstenio, Leone Allatio, Jo. Ciampolo hominibus sane doctis opinionem omnibus afferens fore se similem iis, quos sibi delegerat ad imitandum. Maxime autem studuit se in Barberinorum gratiam consuetudinemque insinuare, quorum nutu, Pontificatum Maximum gerente Urbano VIII. omnia fere administrabantur, quibusque ita carus atque acceptus fuit, vix ut quisquam unus uni carior fuevit, quam unus hic universis. Secutus est

etiam Cardinalem Francifcum, cum ad Gallia-rum & Hifpaniarum Reges Legatus miffus fuiffet; & quamvis officia omnia obiret diligentiffime, non tamen, quod plerique omnes aulici faciunt, reliquum tempus otiofe confumebat. Nam repetitis de integro ftudiis, Platonis praecipue, Ariftotelis, Xenofontis ac Plutarchi, nec non SS. Ecclefiae Patrum libros ad gubernandam vitam remque publicam pertinentes ita ftudiofe pervolutabat, ut eos in fuccum ac fanguinem fuum converteret, omniaque eorum praecepta in numerato haberet, quibus non ad inanem loquacitatem, fed ad danda capiendaque de rebus maximis confilia tempeftive uteretur. In hiftoria quoque, & Italica poefi multum operae ac temporis pofuit, qua in poftrema facultate fic valuit non tam praeceptis & arte, quam natura ipfa, ut haud injuria in principibus illius aetatis poetis a Crefcimbenio numeretur. Extant pauca ejufdem lyrica (2) in quibus apparet limatum ac prudens Auctoris judicium in declinandis fuorum temporum vitiis, dum tamen floridum fcribendi genus confectaretur. Ad fcribendam tragoediam cum fe applicuiffet Adra-

sti casus satis eleganter, & cum sensu tractavit (3). Abundat concinnis acutisque sententiis, & in choris maxime feliciter audet. Majori etiam successu dramaticam, ad quam praesertim naturae ipsius habitu ferebatur, excoluit; septemque reliquit dramata, quorum pleraque in Barberinis aedibus, apparatissimi spectaculi architecto et machinatore Berninio, fuere recitata (4). Nihil vero ad illud sincerum & subtile judicium Crescimbenii laudabilius esse potest his dramatibus; neque is dubitat affirmare, si in vulgus ederentur, per illa facile intellectum iri omnes, qui cum Rospiliosio in hoc poesis genere contendere vellent (non enim tum Zenus & Metastasius in lucem hominum prodierant) ipsum superaturum. Illorum ornamenta sunt quidem multa, sed eminet maxime judicium poetae in transferendis artis praeceptis ad suorum temporum usus ac mores (5). Nemo ignorat quantum tribueretur poesi, illo Pontifice, qui ad poetae gloriam maxime adspirabat. Et si non defuere, qui sine ulla commendatione majorum, illustriumque in Rempublicam meritorum hac una poetae laude ad honores obrepserunt;

quanta ſpe teneri debebat Julius, qui non tam poetica facultate, quam praeclaris animi dotibus, & nobilitate ipſa, blanda conciliatricula, erat opinioni Pontificis commendatus? Inter epiſtolas, quas ipſe dare de rebus ſuis ad matrem ſolebat (patrem enim hominem profecto antiqua virtute non multo poſt quam Romam venerat amiſit) plures inveni, quibus eam doceret de claris erga ſe Pontificis benevolentiae ſignis, de ſermonibus, quos cum illo habebat, de facillimis ad ipſum aditibus; idque non ſemel ſibi accidiſſe jucundiſſimum, ut in iis curis, quas Pontifex conferebat ad corrigendos hymnos, aliaſque preces, quae ſunt in uſu quotidiano Romanae Eccleſiae, ad ipſum adjuvandum invitaretur. Deſiderio, quo tenebatur Julius magis magiſque aucupandae Pontificis gratiae neſcio an tribuenda ſit exaggerata laus, quam, edito ſcripto quodam, impertitus eſt poemati Bracciolinii, quod inſcribitur: *L'elezione di Urbano Papa VIII.* In eo quidem multa comparet induſtria, ſed hoc tantum vincit cetera Bracciolinii poemata, quantum haec poematibus Taſſi & Areoſti concedunt. Hiſce rebus gratia a Pontifice inita, fructus

officiorum suorum non mediocres consecutus est Julius. Cum fuisset an. MDCXXXII. inter Romanos Praesules adscriptus, eodem anno declaratus est Congregationis sacrorum Rituum a secretis. Poenitentieriae a consiliis & a signis fuit. Locatus est in eorum coetu, qui dicitur Visitationis Apostolicae, declaratusque Judex *a latere* Legationis Avenionensis. Liberianae Basilicae Canonicus primum, postеaque Vicarius factus est. Sed nunquam Pontificis beneficia jucundiora, numquam gratiora Rospiliosio extitere, quam eo tempore (accidit id anno MDCXLI.) quo ad scribendas Pontificias epistolas, quas Brevia ad Principes vocant, accitus est. Erant competitores Pallavicinius, Mascardius, Benessius, Conneus, Holstenius, Achillinius, Villanius, Donius, sed his omnibus antelatus Rospiliosius fuit, qui ut liberius recenti muneri vacare posset; altero, quod sustinebat in decuria Cardinalium sacrorum Rituum, ut exsolveretur, rogavit. Detulit hoc Pontifex Facchinetio Innoc. IX. gentili, jubens eum & Bononienses suos in magni beneficii honorisque loco ponere, quod ipse Rospiliosio succederet. In magno numero eo-

rum, qui operam ſuam Romanis Pontificibus in difficillimo ab epiſtolis munere praeſtiterunt, non auſim Roſpilioſium Latine ſcribendi elegantia comparare Bembo, Sadoleto, Antoniano, Boccapadulio, aliiſque, ſi qui praeterea ſunt, in hoc genere ſcribendi principibus: ipſe quidem nemini fide, prudentia, dexteritate, atque diligentia conceſſit. Quapropter cum plane officia ſua probaſſet Pontifici, ab eo praeter ſpem menſe Martio an. MDCXLIV. renunciatus eſt Archiepiſcopus Tarſenſis, miſſuſque ampliſſima & extraordinaria poteſtate Legatus ad Philippum IV. Hiſpaniarum Regem. Non ſane alias exercitatior, majoribuſque in periculis Hiſpania fuiſſe videbatur. Defecerant Catalaunia & Luſitania; domi foriſque teterrima bella aut cum effrenatis & furioſis civibus, aut cum potentiſſimis hoſtibus; inclinabant res Neapolitanae ac Mediolanenſes ad ruinam; aerarium & provinciae ſumptibus exhauſtae; neque tot malis ſperari poterat remedium aliquod ab Adminiſtris, quos nimia Regis indulgentia effecerat potentiae aut divitiarum praeter modum cupidos, nec bene de Republica ſentientes. Ex his Olivarius, qui primus numerabatur,

cui insolentia dominatus extulerat animos, & erat incredibili armatus audacia, in exilium ejectus; fremebat populus parem aut majorem poenam ab aliis expetens, seque ultorem injuriae dolorisque sui fore minitabatur. Ipse Rex perturbationi animi & fortunae ob publica & domestica mala (Isabellam enim Borboniam uxorem carissimam amiserat) succumbere videbatur, dolebatque spem nullam ostendi fore aliquando melius aegrotam ac prope desperatam Rempublicam. Hic status erat rerum Hispaniae quando Rospiliosius Matritum advenit. Illius praecipuae curae fuerunt, ut cum ceteras res omnes, tum ingenium nosceret eorum, qui primas in negotiis publicis agebant, in eorum familiaritatem se insinuaret, Regisque animum demereretur. Id quidem sic ei successit nullum ut ejus consilium atque incoeptum frustra esse videretur; ipseque Rex omnes fere res cum Rospiliosio communicaret, in amicis eum haberet, magis magisque in dies singulos amplecteretur, quod non tam ingenii solertiae, quae in Rospiliosio magna fuit, quam singulari bonitati naturae assignaverim. Tanta porro erat opinio, quam Rex habebat

de Rospiliosii fidelitate, ut nihil valerent invidorum voces ad illam imminuendam; quanquam suspicioni locum aliquem dare Rospiliosius ipse videretur, ob arctam conjunctionem, quae ei erat cum Cardinali Mazzarinio perpetuo Hispanorum hoste. Neque litterarum modo commercium inter eos fuit, sed & munera invicem missitabant, mutuisque certabant officiis. Uterque jecerat fundamenta amplissimarum fortunarum in aula Antonii Barberinii Cardinalis; sed non eadem utrique via ad eas acquirendas. Vincebat omnes calliditate Mazzarinius; apertum pectus ostendebat Rospiliosius: intentum animum alter habebat, tanquam arcum, ad omnes captandas utilitates; non occurrebat alter fortunae, sed eam quieto animo praestolabatur: ardens Mazzarinius tum amore, tum odio, tum conscientia, nunquam sibi imperabat, nisi quando expediebat; contra ea Rospiliosius, tanquam navigium aliquod tranquillissimo in mari cupiditates suas moderabatur, & prudentia, gravitate & officio consilia omnia regebat: vanus ille, avarus, magno animo & constanter manens in statu suo nullum habuit modum divitiarum & honorum;

modeſtus hic, cautus & ſaepe etiam timidus ordinem, honeſtatem & decus ſemper ſervavit. In tanta diſſimilitudine naturae amicitiam inter eos extitiſſe mirum videri poteſt. Inita, uti diximus, ſingulari gratia a Philippo Rege facile fuit Roſpilioſio, quae difficillima putabantur, explicare negotia. Dolebat tamen ſe non habere induſtriae ſuae approbatorem Urbanum VIII. a quo, ſicuti narravimus, Legatus miſſus fuerat; & eo magis dolebat, quod non uni Innocentio X., qui ſucceſſor ſimul & ultor electus fuerat, ſed & aliis, quorum nimia potentia dominabatur in Urbe, ſerviendum eſſe intelligebat. Sed quidquid hi rogarent, facile juſteque ſemper agebat Roſpilioſius, cui nunquam non obverſabatur animo poſſe virtutem ſine praeſidio fortunae, quo contendiſſet, labore & conſtantia pervenire. Vehementer tum agitabatur de pace componenda inter univerſos Europae Principes. Locus opportunus, aptuſque ad diſceptandum de conditionibus viſum eſt Monaſterium, eoque jam convenerant plerique eorum, quibus conficiendi negotii cura commiſſa fuerat. Differebat quotidie ac procraſtinabat Hiſpaniae

Rex suorum Legatorum missionem; cumque magni interesset & amicos rei Romanae eligi, & eos cito legari, id scilicet magnopere curavit Rospiliosius. Ut vero agi res coepta est non minus ille studuit, ut Sedis Apostolicae dignitati Rex ipse faveret. Haec quidem feliciter Rospiliosio successere. Nihilo tamen minus iis conditionibus pax confecta est, ut per eas plurimum laesa fuisse Catholicae Reipublicae jura graviter sint conquesti Romani Pontifices, easque hactenus recusaverint. Per idem tempus actum a Rospiliosio de machinationibus Jansenistarum, efflagitatumque ut Urbani VIII. constitutio, qua Jansenii liber damnabatur, solemniter in Belgio acciperetur. Nec deerant, & in his Archiepiscopus Meclinienfis, Episcopus Gandavensis, & totum ferme Brachbantanum Consilium, qui acriter se se huic rei opponerent. Ajebant enim fraudes Jesuitarum illam extorsisse; horum hominum ponderibus examinatum fuisse Jansenii librum; contra ipsius Pontificis voluntatem ac jussa factam Auctoris mentionem; eo spectare dolos & machinas eorumdem, ut e scholis non Jansenii, sed ipsius Augustini de gratia Dei doctrina exturbetur;

betur; nec dubitare se quin illa constitutio magnas allatura esset universo Belgio perturbationes. Haec quanquam ex vero multi dici arbitrarentur, vicit tamen Regis animum auctoritas Rospiliosii, qui quidem obtinuit non solum ut constitutio in Belgio promulgaretur (6), sed etiam ut Ecclesiae munera iis denegarentur, qui ipsi subscribere recusarent. Post id petiit Rex a Pontifice ut diligentius & sine partium studio Jansenii liber examinaretur, ex quo examine nova rerum origo, novae molitiones, de quibus non est hic dicendi locus. Inter haec Turcarum Principis Legatus Matritum venit acturus cum Philippo Rege de amicitia inter eos jungenda. Factum opera Rospiliosii ut Legatus ab hoc conatu repelleretur, cum persuasisset Regi amicitiam cum infidis et barbaris gentibus haud esse posse, quam si utilitas conglutinat, eadem commutata dissolvit. Neque hoc solum fecit, sed etiam impetravit ut e Belgio subsidia Venetis mitterentur, qui crudele bellum contra Turcas ipsos sustinebant. Eodem tempore procuravit negotia Ludovisiae gentis in Salernitani Principatus obtinenda possessione. Itaque

cum videret Pontifex haud quidquam abnuere Rofpiliofio Philippum Regem, eo magis eminuit ejus animus elatus & acer in expetenda poena ab Neapolitani Regni Proregibus, per quos fuorum Legatorum, aut Ecclefiae jura violata effe dicebat. In his Arcobrigae Dux vir notus multis nominibus, fed praefertim feditione Thomae Anielli, cui cauffam dediffe videtur, fupplex veniam petere coactus eft ab Aemilio Alterio Legato Pontificio, quod hominem abducere tentaffet ab illius aedibus, in quas tanquam in afylum confugerat. Poftulante quoque Rofpiliofio, privatus munere fuit Beltranus Guevra Onnatti Comes, praeceptumque Succeffori videret, ne Pontifici & Neapolitano Archiepifcopo jufta querelarum cauffa fuppeditaretur (7). Inter tot beneficia, quae a benevolentiffimo Rege impertiebantur Rofpiliofio, nullum huic fortaffe gratius fuit quam ea largitio, ex qua Liberianae Bafilicae Canonicis tria fere millia centuffium quotannis penduntur (8). Qua in re Philippus foceri Henrici IV. Gallorum Regis fecutus eft exemplum, qui Conftantinianae Bafilicae ditiffimi facerdotii jura & red-

ditus donavit. Interim cogitabat Philippus de ducenda uxore, quod vehementer postulabatur ab Hispanis ad parandam virilem prolem. Duxit autem ineunte anno MDCL. Mariam Annam Caesaris filiam, & fuit apparatus, fuit species tali conjugio digna. Illa solemnis nuptiarum pompa consecrata voce & auspiciis Rospiliosii fuit, qui quidem nil vehementius optabat, quam ut fructus laetos & uberes hujus conjugii sibi videre liceret. Auctus haud multo post Rex filia, eam per Rospiliosium lustralibus aquis ablutam voluit, quod quidem maxima cum caerimonia, magnificentia ac sumptu factum ab eo est. In hac tamen cunctae civitatis laetitia tristem eum esse oportuit ob mortem filii fratris, quem secum in Hispaniam duxerat, & a quo omnia summa expectare poterat (9). Haec & alia hujusmodi homo Christianus perinde accipiebat, ac si a summo Parente admoneretur, cetera omnia falsa, incerta, caduca & mobilia; virtutem unam altissimis defixam esse radicibus. Itaque nemo illo minus fortunae stabilitate confidit, nemo illo magis alienus non dicam a superbia, sed

& ab insolenti alacritate, quam secundae res solent afferre; cumque praeclare gestis in legatione minime exultaret, omniaque ad Regis bonitatem referret, extra invidiam, nec extra gloriam erat. Abeuntem ab legatione an. MDCLIII. Rex magnifice laudavit atque donavit. Litteras quoque dare ad Pontificem decreverat, quibus hunc non modo rogasset, sed pene etiam coegisset ad adlegendum Rospigliosium in Cardinalium collegium. Verum hic temporum iniquitatem animo reputans, quibus plerique nitebantur ad honores per malas artes, potentiae unius feminae decus atque libertatem suam gratificantes, amantissimi Regis officia recusanda putavit. Nec poterat tanto viro grave esse vitam privatam agere, cui in ipsa conscientia recte factorum satis magnus laborum fructus inerat. Itaque cum Romam rediisset, nec questus est, nec exprobravit Pontifici, quod nullis donatus esset praemiis, quae dari amplissima Legatis solent. Ubi vero nullam praeclaram operam Reipublicae vidit se posse navare, contulit se ad eas artes, quae verissima solatia sunt humanae vitae, in quas dum tota mente incumbimus,

nullus fere nobis sensus est praesentium malorum; quod ita perceptio magnarum rerum incredibili dulcedine animos perfundat, ut qui ei se assuefecerint, nihil omnino sentiant temporum indignissimorum acerbitatem. Cum iis etiam se oblectabat Rospiliosius, qui & pingendi & scalpendi arte maxime excellebant, familiaresque habuit Alexandrum Algardium, Petrum Berettinium, & Franciscum Albanium, quem saepe consolari debuit, & defendere contra malevolorum invidiam. Incredibile enim est, quantum ille afflictaretur, cum audiret quotidie se non solum postponi Reno varietate nobilitateque formarum, Barbierio vi quadam coloris, Zampierio inventionis copia, Lanfranchio pingendi facilitate, sed etiam infimis pictoribus comparari, & tanquam nimis mollem, enervatum & exsanguem reprehendi. Habitabat Rospiliosius in Esquiliis, idque non tam salubritate & amoenitate loci, quam amore otii & solitudinis. Aberat enim ab Urbis & Aulae strepitu, & quo propius erat Liberianam Basilicam, cujus servitio jamdiu se devoverat, eo facilius & copiosius pietati suae in B. V. M. satisfaciebat. Interea In-

nocentius X. moerore & annis oppressus (erat enim octogenario major) diem suum obiit. Tanta omnium indignatio in Olympiam ejusque fautores exarsit, ut non jam secretis odiis, ut antea, sed aperte & palam incesserentur, eousque ut etiam a pueris e schola redeuntibus proditores appellarentur: neque quisquam eorum cum excusatione aliqua mentionem facere posset, quin sibilis & tumultu exciperetur. Inter eos, quos deditos obstrictosque habuerat Olympia, fuit Aribertus Urbi Praefectus, vanus ingenio homo, & ex claris inimicitiis constantis animi famam appetens. Placuit itaque purpuratis Patribus eum magistratu movere, ejusque in locum cunctorum suffragiis Rospiliosius suffectus fuit. Insignia novae dignitatis accepturus ad Patres cum exiguo famulorum comitatu venit, sive ad pristinae fortunae misericordiam commovendam, sive, quod probabilius est, ad moderationem animi ostendendam. Mitis Rospiliosii praefectura fuit, moribusque magis suis, quam populi Romani conveniens. Vigilantiam tamen & diligentiam mirificam praestitit, quod uno maxime confirma-

bimus exemplo. Vivebat in Urbe per ea tempora Franciſcus Borrius Mediolanenſis, qui cum antea eſſet in omni vitiorum coeno pervolutatus, repente vitae rationem commutavit; fićteque ac ſimulate loquens & agens adeo homines decepit, ut permulti exiſtimarent quaſi lumen aliquod elucere ſanćtitatem illius. Sed interea mens vana & depravata agitando & exquirendo omni errorum genere alebatur, expećtabatque tempus opportunum ad illos diſſeminandos. Sed cum intellexiſſet verſari ſe ſine periculo diutius Romae non poſſe, veſtigia illius perſequente Roſpilioſio, ſolum vertit, neque multo poſt Mediolani virus impietatis ſuae evomere coepit. Nullum eſt chriſtianum dogma tam ſanćtum & ſolemne, quod ipſe violare & evertere non tentaverit, multoſque ſane in fraudem impulit. Demum illius perfidia omnis repente apparuit; ſed favit fortuna, cum e manibus Quaeſitorum Fidei ipſum eripuiſſet. In Bataviam tanquam in aſylum confugit, medicinamque faciens famam & divitias acquiſivit. Indulgentia Batavorum ferocem, arrogantem, infeſtum eum fecit; quapropter diffidens rebus ſuis, cum in

ea provincia plures annos commoratus fuisset, ad Germanos transivit. Inter haec saevitum est Romae a Quaesitoribus Fidei in scripta & imagines hominis impudentissimi, cum in corpus non possent; & Rospiliosius, qui tum e numero eorum erat, facile in reliquorum sententiam ivit. Quando haec accidere sedebat ad Reipublicae gubernaculum Alexander VII. qui a singulari studio in Catholicam Religionem ineuntis Pontificatus commendationem ducendam putaverat. Sensit illico Pontifex, cujus summa erat expectatio, huic tuendae fore opportunissimum, si opera consilioque Rospiliosii in rebus tractandis uteretur. Itaque eum Secretarium, ut vocant, Status (summam rerum is administrat) creavit, neque multo post in Cardinalium collegium cooptavit. Utinam semper valuissent consilia Rospiliosii. Neque enim Pontifex in summas angustias adductus fuisset. Sed persuadere Principi quod oporteret, multi laboris erat in magna assentantium copia, qui libentius cum fortuna Pontificis, quam cum eo loquebantur. Principio, quo is ad imperium vocatus est, raro sane exemplo ostendit nolle se in familia sua so-

cios poteſtatis auctoritatiſque habere, & ſuorum magis quam Reipublicae rationibus proſpicere. Quod moderationis aequitatiſque documentum magno gaudio magnoque plauſu acceptum eſt. Sed brevi commotus Pontifex ſenſu & indulgentia in fratrem filioſque ejus, a priſtina ſeveritate atque rigore diſceſſit, omnemque fere poteſtatem in eos tranſtulit. Dignos hac fortuna anteacta vita eos oſtendebat: ſed cum irrepſiſſent adulatio, blanditiae, ſua cuique utilitas, magna apparuit converſio voluntatum. Acribus ſane ſtimulis ſecundae res animos explorant, & qui fortunam adverſam facile toleramus, felicitate corrumpimur. Haec ſunt quae conturbabant Julium in adminiſtratione Reipublicae, dolebatque ſaepe plus apud Pontificem paucorum, quam univerſae Civitatis vocem valere & voluntatem. Sed in magno numero hominum, qui non erant diſſimulanter irati, nemo tam iniquus extitit, qui vel minimam partem earum rerum, quae minus laudabiliter gerebantur, in Roſpilioſium transferre auſus fuerit. Non enim minus apud eum honeſtas & fides, ſanctiſſima vitae communis vincula, quam

apud alios utilitas valuit, tulitque semper & justitiae famam & constantiae. Quando vero illud suum praeclarum studium de Republica conticescere & obmutescere cogebatur, facile homo integer & castissimus consolabatur se cum bonae mentis conscientia. Vivebat tum Romae Paullus Cardinalis Gondius, qui, ut erat serendae invidiae & discordiae mirabilis artifex, in odium offensionemque non modo Cardinalis Mazzarinii, sed & ipsius Galliarum Regis incurrerat. Hi poenas ab eo aut audaciae aut temeritatis exposcebant. Pontifex principio Cardinali favere; postea ad severitatem propensus, & recusantem abdicare se Archiepiscopatu Parisiensi coacturus imperio videbatur. Miserebat tamen illius Rospiliosium (quanquam animus ferox misericordiam illius minime requirebat) deditque ei consilia plena prudentiae & charitatis: amabat enim hominem clarum natalibus, casibus & praesertim ingenio. Sed hic illa rejecit, quod non tam praemiis periculorum, quam ipsis periculis laetus pro certis & olim partis nova, ambigua, ancipitia malebat. Grata tamen Galliarum Regi fuerunt officia Rospiliosii; & gratio-

ra quoque accidissent, nisi Rex, instigante maxime Mazzarinio, & caussam aliquam ipso Pontifice dante, quidquid Romanum esset tum aversari videretur. Secuta sunt illa, quae ad Jansenium, ejusque Sectatores pertinebant, in quibus aliorum magis quam Rospiliosii valuere sententiae; utque evenit in consiliis infelicibus, optima visa sunt, quorum tempus effugerat. Profecto quae in hac re gessit Alexander multum Ecclesiae Gallicanae pacem turbarunt. Plurimis vero opem Rospiliosii in magna rerum perturbatione implorantibus respondit ille, rem suae potestatis non esse, expectandaque meliora tempora, dum remitteretur intoleranda potentia Jesuitarum, qui clamabant Christianam Rempublicam deleri, si omnia ex eorum voluntate non fierent. Haec infringere putabant aliqui gloriam Rospiliosii. Ipse vero qui intelligi volebat neque temporariam, neque callidam esse prudentiam suam, non florentibus se venditavit, sed afflictis quantum potuit succurrit, studiumque veritatis retinuit. Id etiam ex iis conjici potest, quae dixit scripsitque pro defensione Petri de Marca, cujus fama omni maledictorum genere

oppugnabatur. Tantum porro tribuit testimonio Rospiliosii Balutius, ut non posse melius consuli carissimi praeceptoris famae & gloriae putaverit, quam si in medium proferret litteras, quibus Cardinalis amplissimus mortem ejusdem de Marca deflebat (10). Huic innocentiae defendendae cupiditati adjungebatur studium doctrinae; nam quo magis in illa quis excellebat, eo vehementius iis temporibus exagitabatur. Magnificum illud quidem, & purpuratis Patribus maxime gloriosum honori dignitatique favere hominum studiis litterisque deditorum; & nunquam non commemorandum Rospiliosii exemplum, ad cujus gratiam atque amicitiam omnes ii receptum habebant, quos ingenii praestantia decorabat. Ipsa ejus domus commendabat ad opinionem & innocentiae & doctrinae omnes, qui illam frequentabant, celebrabaturque quotidiana amicorum assiduitate atque frequentia. Neque solum in vivos, sed etiam in mortuos officia amicitiae diligenter servabat Rospiliosius, cui rei indicio esse possunt quae gessit ad quaedam scripta colligenda edendaque Joannis Ciampoli & Lucae Holstenii. Vixerat cum utroque fa-

miliariter Rospiliosius, tantumque tribuebat unius musis, & alterius eruditioni, judicio & acumini, ut nemiuem se nosse diceret, quem cum illis aequaret. Quod ad Holstenium attinet me quoque adscribo Rospiliosii sententiae; quod vero ad Ciampolum semper quidem admiratus sum ejus poeticum ingenium omnino ad lyricen factum, sed ei condonare non possum, quod nesciverit politius limare carmen, & ambitiosa recidere ornamenta, quodque non semper viderit, quo virtus, quo ferat error; ex quo factum est ut dum vitat humum, nimis in sublime feratur, descendatque interdum ab alto

.... veluti merulis intentus decidit auceps
in puteum foveamve:

Sed haec vitia potius temporum, quibus Ciampolus vixit, quam poetae dixeris. Absunt quoque a perfectione, quae scripsit Ciampolus soluta oratione; & haec in vulgus edere sibi proposuerat Rospiliosius. Cum praestare rem minime potuisset creatus Pontifex Maximus, ejus perficiendae Jacobo Antonio Celsio curam reliquit. Inter haec accidit adventus in Urbem Christinae Svecorum Reginae, quae capta Rospiliosii humanitate atque doctrina nullum

officii genus praetermisit, ut eum in perpetuum sibi devinciret. Vicissim Rospiliosius omnes captabat occasiones ad promerendam Reginae gratiam, obsequebaturque voluntati illius, cum excitaret plurimos ad consecrandam amplissimis monumentis memoriam fidei, pietatis & moderationis, qua potentissima Regina non solum Regnum, sed omnia pene a se abdicare visa est, ut se Romanae Ecclesiae adjungeret. Qui norunt quem vitae cursum tenuerit Regina, quique ejus acta & mentem introspexere, facile judicare poterunt, num casus eventusque rerum, an sincera pietas duces comitesque illius consiliorum fuerint. Jam vires deficere coeperunt Alexandrum; dolebatque Rospiliosius non bene provisum famae Pontificis, multis ceteroqui ornamentis & virtutis & ingenii praediti, ab iis, quos maximis affecerat beneficiis. Ipse quidem se semper existimationis illius studiosissimum cupidissimumque ostendit, ac nulli pepercit industriae, quo omnes officii sui rationes constarent, & vel difficillimis satisfaceret (11). Mortuus est Pontifex XI. Kal. Junias anno MDCLXVII. nonum supra sexagesimum annum ingressus, postquam

duodecim annos mensem unum ac dies regnasset omnino XV. Novendialibus justis illi de more factis, Cardinales omne studium cogitationemque contulerunt in eligendum novum Pontificem. Fuit elegans & gravissimis plena sententiis oratio, quam Stephanus Gradius Ragusinus Vaticanae bibliothecae, ut vocant, Custos ad Patres comitia ingressuros habuit, illos admonens ut cognationis, amicitiae, privati commodi obliti cum crearent Pontificem, qui optimus, quique Christianae Reipublicae, praesertim tam turbolentis temporibus, utilissimus foret. Inter haec magna fuit contentio an in aedibus Quirinalibus haberi comitia deberent, quod & maximi calores & caelum insalubre obstare videbantur, quominus in Vaticanis, ut moris est, haberentur. Erant in hac sententia, proque ea vehementer pugnabant Cardinales Ludovisius, Odeschalchius, & Pallavicinius, sed contra maxime nitebantur Barberinius, Spada, Pallotta, ceterique seniores. Sic triduum disputationibus extrahitur, quoad inter omnes convenit eas esse aedium Quirinalium angustias, ut ei rei nulla ex parte locus esset aptus accommodatus.

que. Itaque nihil innovari placuit, praesertim cum nullus non arbitraretur ad breve exiguumque tempus duratura comitiorum incommoda, adeo omnium mentes Rospiliosius occupaverat. Verum multa rumor fingebat, ut primis diebus res ferme conficienda videretur. Itaque, quatriduo vix elapso, undique ad Vaticanum concurritur; magni clamores, magnaeque gratulationes fiunt; sicque recte factorum ac magnorum in Rempublicam meritorum gloriam consecutus est Julius, ut eum prius universa Civitas voce, quam Patres suis suffragiis Pontificem declaraverit. Intus enim erant adhuc omnia suspensa, cum illis visum fuisset aliquid temporis expectare, dum & ipse magis convalesceret (graviter enim paullo ante aegrotaverat) & si qua contra ab adversariis confingi possent, diluerentur. Inter haec e vita concessit Cardinalis Franciscus Sfortia Pallavicinius vir sane doctus, cujus memoriam excipient omnes anni consequentes. Romae natus atque educatus tantam vel a primis annis ingenii magnitudinem prae se tulit, ut non solum laudem, sed etiam admirationem sit consecutus. Itaque adolescentulus

& clarorum virorum floruit amicitiis, & in intimam summi Pontificis Urbani VIII. familiaritatem pervenit. Operam honoribus a patre dare jussus Praesul Aesium, Urbem Veterem atque Camerinum gubernavit; cumque & antiquitate generis & gloria majorum & sua virtute maxime floreret, facile sibi non solum augurari, sed etiam polliceri summos honorum gradus potuisset. Sed vir altus & excelsus humana omnia despicere visus est, cum S. J. nomen dedisset. Magna fuit suorum de illo opinio, ut ei nemo anteferretur, perpauci pares putarentur. Quamobrem id habuit operis & muneris, ut historiam Concilii Tridentini conscriberet, confutaretque Paulli Sarpii audaciam, qui hanc ipsam rem accusatorie magis quam libere tractasse putabatur. Elegans est verbis, sapiens sententiis, genere toto gravis. Et verendum quidem ei erat, ut tenere se posset, ut moderari irae, praesertim cum praejudicati aliquid ad caussam afferret. Homo hac facultate magnam est gratiam Alexandri VII. consecutus; nec defuere qui crederent assentatione etiam aliqua se in Pontificis consuetudinem penitus immersisse. Creatus

ab eo Cardinalis multa habuit negotia, neque ulla res gravior gesta, de qua prius sit decretum, quam Pallavicinii sententia cognita. Sic beate acta vita, hoc unum ejus felicitati defuisse vere licet dicere, quod illum diem clarissimum laetissimumque non viderit, quo Rospiliosius Pontifex, sicut ipse divinarat, creatus est. Intercedebat enim inter eos magna ac vetus summis semper culta officiis amicitia, quam mutua virtutis opinio conciliaverat. Iisdem quoque diebus vitam amisit Cardinalis Volumnius Bandinellius Senensis, sane probus, bene moratus & integer vir, idemque nobilitate generis cum primis clarus: erat enim Summi Pontificis Alexandri III. gentilis. Sed eo jam unde digressi sumus revertamur. Erant e Cardinalibus nonnulli, qui Hieronymo Farnesio favebant; cumque is propter animi virtutes & non vulgarem doctrinam magno apud omnes esset in honore, difficile illis non fuit alios ad suas partes attrahere. Sed hi brevi tempore plane refrixerunt, repugnante maxime Cardinali Barberinio. Nec meliori eventu habita mentio est Cardinalis Scipionis de Elciis viri multis nominibus Pontificatu digni. Tali

modo cum res ad XVIII. diem producta fuisset, fautores Rospiliosii expectari diutius non oportere existimarunt, quin de eo eligendo ageretur, in quo tanta felicitate usi sunt, nemo ut sit inventus, si duos dempseris (fuerunt verò LXIV. qui suffragium ferrent) quin ejus faveret dignitati. Quamvis nonnullas caussas attulerit Rospiliosius ad declinandam dignitatem laboris & periculi plenam, non tamen invitus ad eam accessit, declaratusque Summus Pontifex fuit sub occasum solis XII. Kal. Quintiles. Hoc facto ipse ut erat homo omnium gratissimus pro tantis erga se meritis gravissima oratione (12) gratias Cardinalibus egit; & ex ipso genere gratiarum agendarum intellectum est modestiam moderationemque perpetuas comites fore Pontifici, neque conquieturum unquam illius de Republica studium; in eaque administranda eosdem conjunctos secum habere velle consiliorum omnium societate. Cunctis in partes muneris sui pollicentibus operam, Cardinalis Barberinius Collegii Princeps adjecit: *Vehementer laetari omnes, quod divino beneficio is donatus esset Ecclesiae Pontifex, qui exemplo suo non modo currentes incita-*

re, sed & commovere languentes potuisset; quare certantes secum ipsos annisuros ut ei similes essent, quem sibi proposuerant ad imitandum. Ille accommodatissimo suis moribus ac naturae Clementis nomine appellari voluit; utque homines se totum ad aliorum utilitatem commodumque, nulla proprii habita ratione, conversum esse intelligerent, in nummis, qui per hos dies cusi sunt, Pellicanum se eviscerantem hac epigraphe jussit incidi: ALIIS NON SIBI CLEMENS. Pontifex quidem excitatae de se spei nunquam defuit, etsi quandoque ipsi defuerit fortuna. Primum & non obscurum voluntatis suae in populum Romanum argumentum fuit, quod Pontifex dictus gravi in primis vectigali, quod pro frumento ac leguminibus molendis pendebatur, illum levavit, dimidio & amplius remisso. Cujus rei perficiendae cogitatio eo quod ab Alex. VII. esset suscepta, vir ab omni laudatione remotissimus, totam laudem in eum vertit. Neque hoc contentus panis pondus augeri jussit, & annonam in macello laxavit. Pistores lege solutos esse voluit frumentum emendi a rei frumentariae Praefectis. Reddita enim naturali libertate, ut emptores vendi-

moresque quid velint faciant, necesse est agriculturam plurimum augeri, qua nihil melius, nihil uberius, nihil in bene constituta Republica utilius esse potest. Pro quibus meritis quantopere sibi omnium animos devinxerit facile est existimare. In mandandis magistratibus omnem curam sapientiamque adhibuit; in quo profecto ostendit id sibi propositum esse, ut non aliud quam ex virtute ad honores pateret iter. Itaque Cardinalem Decium Azzolinium rerum summae praeposuit; Datarium, ut ajunt, creavit Cardinalem Petrum Ottobonium, qui postea Alexandri VIII. nomine Pontifex Maximus factus est, eique Armandum Riccium subesse adjutorem voluit. Cubiculo praefecit Aemilium Alterium, qui etiam Pontificatum Maximum consecutus est. A libellis supplicibus jussit esse Joannem Nicolaum Picolomineum; a cognitionibus Nestorem Ritam, cujus fratre Benedicto medico usus est. Stephanum de Augustinis piis in pauperes erogationibus praeposuit. Franciscum Nerlium, qui erat ab epistolis, aliosque plures suis in officiis confirmavit. In suos vero, qui per hos dies Romam venerant, ea munera contulit, quae dari a

Pontificibus solebant consanguinitate propinquioribus. Itaque Camillum fratrem summum Pontificiarum copiarum imperatorem fecit; ejus ex Lucretia Cellesia filios Vincentium triremibus, Thomam arci S. Angeli, Joannem Baptistam Praetorianis militibus praefecit; Jacobum vero, qui Internuntii Pontificii, ut loquuntur, munere apud Belgas fungebatur, Romam cum advocasset in amplissimum ordinem legit. Et licet de omnium virtute minime dubitaret Clemens, cujus certissima jam acceperat argumenta, illos tamen monere voluit, *etiam atque etiam viderent ne quidquam admitterent quod conceptam de iis opinionem vel minimum offenderet: quaererent laudem in animi virtutibus non in vana ostentatione fortunae; atque ita se cum omnibus gererent, ut intelligeretur non potuisse honoris auram illos de suo statu movere: cogitarent conjectos in eos esse omnium oculos tanquam in exempla, quae sibi ad imitandum proponant; quare in nullius hominis quam in ipsorum facta se diligentius inquisiturum; & qui facilis erga ceteros futurus esset, ab iis tamen semper majora exactarum*. Interea dies advenit, qui fuit

V. ante nonas Quintiles, ineundae Pontificatus possessioni in Basilica Lateranensi destinatus. Fuit ille quidem Clementi immortalitatis instar, adeo certatum ab omnibus est in significanda gratulatione benevolentiaque declaranda. Iter a Vaticano nunquam majori apparatu ornatum, nullus comitatus nobilior, in quo & esse voluit Magnus Etruriae Dux viginti quatuor ephebos e primariis Etruscis familiis; nulla unquam tanta celebritas omnis generis hominum; neminem populus Romanus magis fausta acclamatione plausuque prosecutus est. Nec in minori Civitatis laetitia septimo die ante in Basilica Vaticana pontificia insignia acceperat. Tales quidem fuere omnium ordinum, & gestus & voces, quasi longo post intervallo justitia, facilitas atque clementia reviviscerent. Neque Romae dumtaxat dies festi ac solemnes celebrati ob delatum Rospiliosio Pontificatum, sed & Matriti ac Florentiae, jubentibus Hispaniarum Regina & Magno Etruriae Duce. Christina quoque Svecorum Regina, quae, relicta Roma, Amburgi hoc tempore commorabatur, cum accepisset optatissimum nuntium obtigisse Ecclesiae Pastorem

Rospiliosium, nihil earum rerum omisit, indignantibus licet Haereticis, quibus significari publice gaudium solet. Quilibet vero e Catholicis Principibus ex perpetuo majorum instituto suos Clementi, quanquam diversis temporibus, Legatos misit, qui summum honorem gratularentur, & obedientiam promitterent. Jam a primis Pontificatus diebus totum se Clemens dedit constituendae Reipublicae. Ejus potior cura fuit liberandi vicinias Urbis a grassatoribus & latronibus. Populares tumultus in quibusdam Pontificiae ditionis civitatibus, ac Perusiae praesertim atque Asculi exortos compescuit, & quantum fieri potuit, ne postea orirentur, cavit. Turbatam ex aliqua parte judiciorum formam ordinavit; & tribunal proprium illius regionis, quae Civitas Leonina dicitur, esse amplius noluit. De restituendo commercio, quod admodum refrixerat, statim egit. Octo idcirco adhibiti Praesules, qui vectigalium rationem cognoscerent; dataque opera ut portoriorum locatores in iis exigendis faciles essent. Destinavit & quosdam Cardinales, qui rationem inirent levandi subjectos populos maximis tributis & oneribus, quibus premeban-

tur; quique si quid in Republica ipsis videretur aut a principio male constitutum, aut postea in illam insusum, quod vel tollere vel corrigere opportunum existimarent, id accurato consilio animadverterent, ad seque deferrent. Ad continendos in officio magistratus constituit ut quarto quoque die cuilibet ad se aditus esset. Animum curamque intendit emendandis corruptis depravatisque moribus, ordinandaeque collapsae Ecclesiasticae disciplinae, communicato prius consilio cum doctis & sapientibus viris. Negotium mandavit quibusdam Cardinalibus rerum divinarum peritis, ut de *reliquiis & indulgentiis* cognoscerent, ne quid fieret contra sacrorum Canonum praescriptum, addiditque Secretarium (sic enim appellant) Michaelem Angelum Riccium, cujus de doctrina singularibusque virtutibus hoc loco mentionem facerem, nisi separatim de ejus vita & moribus plura essem persecutus. Eo etiam cogitationem convertit Clemens, ut jus asylorum minueretur, cum probe nosset impunitatis spem maximam esse illecebram peccandi. Quapropter repressit graviter sermones cujusdam Cardinalis, qui obstruere hujus-

modi perfugia improborum, praesertim in templis, inhumanum & irreligiosum arbitrabatur. Et sane quid Deo acceptius bonorum securitate ac Reipublicae tranquillitate, quae nulla esset, si justa poena minime sequeretur sontes? Mos erat erogandi pecunias ex publico aerario ad sublevandos miseros, & ad religiosa instituta quaedam conservanda atque fovenda. Quod grave id putaverat Alex. VII. difficillimo Reipublicae tempore abrogandum censuit. Restituit Clemens, sperans ab abstinentia atque moderatione magnam sibi fore copiam liberalitatis. Singularia in primis contulit beneficia nosocomio S. Spiritus, providitque ut ejus mensa nummularia commodo in loco esset (13). Pontificios milites onere solvendi decem denarios in singula capita liberavit. Pendebantur ab optimatibus Matronis, quandocumque ingredi Sanctimonialium septa vellent, quinque centusses; quod, & alia hujusmodi multa minime ferenda esse censuit Clemens, dicens gratuitam esse debere facilitatem atque clementiam. Domesticos plures sumptus sua parsimonia diminuendos esse putavit, & illos praesertim qui ad mensam quotidianam epulatio-

nemque pertinebant. Minuit numerum Helvetiorum militum (ad centum enim redegit) qui domum & corpus Principis custodiunt, dicens malum esse custodem metum, & securitatem Principis in amore populorum positam esse debere. Quaestores homines in rapacitate avarissimi excurrere quotannis solebant Provincias ad exigenda tributa. Id amplius fieri vetuit Clemens, dans libertatem Provincialibus tributa a se facta tolerabilia, ut vellent, solvendi. Quae libertas cum illa conjuncta, qua permittebatur unicuique, prout liberet, fruges sua industria perceptas vendere, maximas utilitates attulit. Obstitit mors Pontificis ne stabile hujusmodi bonum permaneret, & ne diuturnitate temporis confirmaretur; dolendumque perpaucos extitisse, qui tam salutare exemplum fuerint imitati: pauca enim ex veritate vulgus, & plerique Principum aestimant. Illorum porro Clementem maxime miserebat, qui apicem Principatus vim, metum, summamque auctoritatem esse putant. Teneant illi (ajebat) usurpent omnia, vel amplissimas pecunias inconsulte largiendo effundant; edicta, leges, quaestiones, tormenta,

milites, speculatores, delatores, carnifices; quam maxime possunt, multiplicent, non propterea tamen furta, latrocinia, dolos, machinas timere ii minime debebunt. Dum suae voluntati omnes parere, omnesque se continere facile ii sibi persuadent, ad paucorum, quos adhibent, arbitrium libidinemque eluduntur. Felices qui libertati, suae virtuti, suorumque amori confidunt. Haec norma, haec regula erat actionum Clementis, qui quidem gloriari potuisset se verae sapientiae usum cum aliorum prosperitate conjunxisse: sed homo omnium modestissimus quidquid boni faciebat aut depellebat mali tum Deo gratias agebat, tum nihil suae laudi assumptum esse arbitrabatur. Ad languentem & otiosum populum incitandum invitavit plurimos, ut lana & tela victum sibi quaeritarent; mandavitque Thomae Rospiliosio, ut nulli parceret industriae ac sumptui, quo florerent in Urbe opificia. Et haec quidem humanis consiliis providebantur. Dei autem opem tanto studio implorabat Clemens, sicque rebus divinis operam dabat, ut majora a sanctissimo Pontifice minime expectari potuerint. Si supplicationes decernebat (& de-

crevit saepe, maximeque in Christianae Reipublicae periculis) ipse aderat semper pedibus incedens; ministrabat fere quotidie pauperibus, qui ad mensam ipsis in aedibus Pontificiis apparatam vocabantur; inserviebat infirmis in variis Urbis nosocomiis, ad quae accedebat non aulicorum, sed virtutum comitatu septus; quae & alia multa vix fieri posse putabantur ab homine, qui semper infirma atque etiam aegra valetudine fuit. Eodem tempore, quo res domesticas componebat Clemens, ad externas animum convertit, quae non minus ejus opem requirebant. Italia tota erat in metu propter furentes et violentos impetus Turcarum, qui postquam infestissime contendissent cum Hungaris, omnem vim belli, obsessa jam Creta, adversus Venetos tulerant. Ardebat Hispania civilibus discordiis, & bello crudeli conflagraturum videbatur Belgium. Illuc enim Ludovicus XIV. praetexens potius desiderium augendi amplificandique imperium suum, cupiditatemque triumphi (tenuit enim semper eum infinita aviditas gloriae) quam jus postulans (14) magnum fortissimumque duxerat exercitum. Et quidem quacumque move-

batur & sua virtute, & consiliis Turenae confirmatus, omnia Gallorum armis cedere videbantur. Gallia quanquam tantum spei haberet ad felicitatem prosperitatemque, quantum accipi potest a magni animi Rege, a fortissimis Ducibus, & a providentissimo Consiliario publicique aerarii administratore, qualis profecto erat Colbertus, sua tamen patiebatur incommoda; lacerabaturque praesertim ab intestinis discordiis, quas religio non bene culta pepererat. Lusitania octo supra viginti annorum teterrimum bellum adversus Hispanos sustinebat, ut suos Reges Bragantios sua in sede retineret. Nec externis magis hostibus, quam internis laborabat. Dum vixit Joannis IV. uxor magni animi magnaeque prudentiae femina, odia, quae erant inter illius filios Alphonsum Regem et Petrum, non multum Rempublicam perturbarunt. Ipsa vero extincta, erupere adeo, ut Alphonsus deponere imperium coactus fuerit. Carebat quoque Regnum magna parte Episcoporum, quod Romani Pontifices eos, qui fuere nominati ab Hispaniae Rege & ab ejus competitoribus Joanne & Alphonso Bragantiis, haud eligendos esse putaverint ad

vitandam partium offensionem. Polonia agitabatur & perterrebatur civilium discordiarum & belli taedis ardentibus, ad quas extinguendas non multum spei ostendebatur a Rege infirmi animi, qui Jesuita & Cardinalis fuerat, quique non modo sine cura quiescere, sed ne respirare quidem sine metu posse videbatur. Quantum studii adhibuerit Clemens ad haec mala aut sananda aut minuenda, quanta cura providerit ne Christiana Respublica aliquid detrimenti caperet, ex iis, quae narrabimus, facile intelligi poterit. Cum advocasset ad se Jacobum Rospiliosium, qui uti narravimus, fuerat ab Alex. VII. ad Belgas legatus, jussit eum ex itinere adire Galliarum Regem, ab eoque petere & summe contendere, ut arma a Belgio revocaret, pacemque cum Hispanis faceret. Scripserat hac de re primis Pontificatus diebus ad ipsum Regem, & ad Hispaniarum Reginam, quae Caroli filii nomine, extincto viro, regnum gubernabat, utrisque ex animo pollicitus se in Galliam, & quemcumque alium in locum venturum, si ad eos pacandos id opus esse videretur. Expectatio, studium, favor, quae omnia secum in Ponti-

ficatum attulit Clemens, efficiebant ut raro frustra aliquid peteret; & quamvis inclinatione voluntatis illum propendere in Hispanos plures arbitrarentur, secus tamen judicavit Ludovicus Rex, qui Pontifici integerrimo sapientissimoque sua omnia se semper concessurum esse optima fide declaravit. Erunt indices hujusce voluntatis & studii litterae, quas ad Clementem ipse Rex de pace misit, quasque infra exscribere juvabit (15). Locus, quo pax confecta est, fuit Aquisgranum, conditionesque pacis praecipuae fuere, ut Ludovicus Hispanis redderet Burgundiam; quas autem arces armis ceperat in Belgio retineret. Qua in re stabilienda cum subortae quaedam disputationes fuissent inter utriusque Regis Administros, facile fuit Augustino Franciotto Legato Pontificio illas componere, quod in mandatis ii haberent, ut cederent, vel potius parerent Summi Pontificis auctoritati. Cetera nemo non judicabit dignum esse aeterna memoria hoc bellum propter celeritatem victoriae, apparatum commeatus (16) virtutem Ducum & Turenae praesertim, artem Vobani in nova excogitanda ratione sepiendarum arcium operibus mu-

munitionibusque, felicitatemque, qua usus est Clemens, in revocando ambitioso Rege a victoriis, quibus veluti initiis ac fundamentis excitari ejus bellicae laudes debebant (17). Non minori cura adlaboravit Clemens ut res Lusitaniae componerentur. Non inclinabat quidem Gallorum Rex ad pacem procurandam; sed vicere consilia Pontificis, & studia praesertim Britannorum & Batavorum, quorum vehementer intererat concordiam in Lusitania constitui. His itaque pacificatoribus pax confecta est Idib. Feb. ann. MDCLXVIII., sicque jura sua obtinuit Gens Bragantia, confirmatusque fuit in dominatione Lusitaniae Petrus hujus nominis II. Fuit hic vir decoro aspectu, corpore magno & firmo, ut obedire semper consilio rationique potuerit in exequendis negotiis & in labore tolerando; vultu, oratione, omni reliquo motu & statu gravis, valens ingenio, quod non educatio & disciplina, sed aetas & experientia confirmavere; sagax ad pericula providenda, facilis ad optima accipienda consilia: videbatur affectare hominis nihil dolentis stabilitatem, quamvis aliquando continere lacrimas minime

potuerit in miserrima fratris fortuna; modestus supra Principis sortem, justus, sobrius, industrius, vigilans intentis adeo oculis omnes Reipublicae partes intuebatur, ut nemo illo melius cognoverit, nemo melius rationibus ejusdem providerit. Si minus Mariam Elisabetham a Sabaudia fratris uxorem amasset, justa quidem reprehensione caruisset. Huic enim amori illa conversio rerum Lusitanarum in primis tribuenda est. Haec res, quod ad Clementis historiam plurimum pertineat, ab initio videtur esse repetenda. Nata illa erat Nemosii & Albamarlae Duce, desponsataque fuerat Petro eodem tempore, quo Parentes ejus sororem natu majorem Alphonso desponderant. Hae nuptiae variis de caussis nullos habuere exitus; quare Alphonsus ex consilio praesertim Comitis Castelmelhorii, destinata fratri uxor ut sibi in matrimonium daretur, postulavit. Nihil hoc conjugio infortunatius. Leviri enim, contra quam fas erat, amore capta Maria statim coepit abhorrere a viro, cui & ingenium & forma deerat, indignabaturque se & eum, quem deperibat, ab ipso male haberi. Delinitus Petrus blanditiis & illecebris Reginae in

illius consuetudinem penitus se immersit, nutriebatque familiaritatem non modo cupiditas, sed etiam utilitas, cum aptissimam esse feminam ad omnes astutias machinationesque intelligeret. Occupandi enim regni spem conceperat, qua in re habere quoque voluit consiliorum participem & adjutorem hominem Jesuitam, qui sibi erat a confessionibus. Vix Petrus, dejecto fratre, regni gubernacula prehendit, cum Regina ab Olisiponensium Canonicorum collegio (nullus enim tum erat Archiepiscopus) postulare coepit, ut cognosceret de suo matrimonio, idque irritum juberet esse. Ipsa interim de suo reditu in Galliam, deque recuperanda dote continenter loquebatur ad novarum nuptiarum desiderium occultandum. Dum Canonici consulunt de ratione expediendi conficiendique negotii, eligitur a Clemente Legatus, ut vocant, *a latere* Cardinalis Vendocinensis, qui cum Regina magnam necessitudinem habebat. Caussa eligendi fuere preces, quibus Ludovicus Gallorum Rex petiit a Pontifice, ut quis ejus nomine recenter natum sibi filium susciperet, dum lustralibus aquis abluebatur. Legatus, quasi nullis terminis circum-

D 2

fcriberetur fua poteftas (& quidem ampliffima funt jura hujufmodi Legatorum) Reginae licentiam permittit nubendi Petro (18). Verum, quod mireris, temere aut cafu evenit, ut antiquior dies adfcriberetur in litteris Legati, quibus Reginae fecundo nubendi concedebatur, quam in decreto, quo Canonici Olifiponenfes prius matrimonium nullum effe declararunt. Vehementer improbavit Clemens Legati factum, cui tamen tenuis quaedam venia dabatur excufationis, quod de tota re Pontificem docuiffet. Sed ejus litterae, quae per Gallicos tabellarios perferri Romam debebant, detentae confulto fuere ab eo, qui fummae rerum in Gallia praeerat. Arbitrabatur enim is maximam effe in Legato poteftatem, neque a Pontifice mutuandam. Nemo profecto non mirabitur Alphonfum non modo non proclamaffe fe fe injuria fpoliatum uxore fuiffe, fed fcripto, quae protulerat Regina, ut ipfum gignendis liberis minime idoneum effe probaret, confirmaffe. Quo facto Primores Regni adeunt Reginam ipfam, quae fe in religiofarum feminarum domum contulerat, ab eaque fumme petunt ne Lufitaniam deferat, feque ma-

trimonio cum Petro conjungat. Nec minus hunc deprecabantur, quasi necesse esset aut nolentes expugnare, aut titubantes confirmare. Concubuit Petrus cum uxore Alcantarae; celebratusque dies ille Olisipone fuit magno tormenti bellici, & aeris strepitu sonituque. Quid hoc esset quaesivit Alphonsus. Ubi caussam cognovit, non suam, sed sortem fratris visus est conqueri. Minime enim se dubitare dicebat, quin ipsum brevi morosae & difficillimae feminae taederet. Misit etiam ex vinculis, ubi detinebatur, quendam hominem ad conjuges, ut iis fausta & fortunata omnia suo nomine precaretur. Haec quidem in magni animi viro constantiam, in Alphonso vero animi infirmitatem declarare facile dixeris. Tali modo rebus in Lusitania peractis, e re sua putarunt conjuges habere Pontificem, si ullo modo fieri potuisset, totius negotii approbatorem. Qua de caussa Petrus Legatum Romam misit, & Regina quoque per hominem Jesuitam, qui sibi erat a confessionibus, submisit se Pontifici, supplicans ei, ut de tota re sua cognosceret. Id negotii dedit Clemens homini illi, qui Olisipone inter Quaesitores

Fidei primum tenebat locum, committens quod que eidem ut sententiam pronuntiaret (19). Judicavit Quaesitor irritum fuisse prius matrimonium, quod judicium cum confirmasset Pontifex id assecutus est, ut non tam religione liberaret conjuges, quam illos Sedi Apostolicae magis magisque conciliaret. Et quidem Petrus saepe declaravit Pontifici nihil non ejus caussa se esse factum, destinavitque Legatum, qui ipsi publice gratias ageret. De electione Episcoporum, quibus jamdiu carebat Lusitania, facile erat rem conficere post conciliatam pacem inter ipsum Regem & Hispaniarum Reginam; dumque sua jura persecutus est Pontifex, publicum aerarium haud mediocriter auxit. Studia curaeque Clementis de stabilienda concordia inter Catholicos Principes eo maxime spectabant, ut ipsos traduceret ad Christianae Reipublicae defensionem suscipiendam. Dies enim noctesque cogitabat, qua ratione succurrere posset Cretensibus, quos circumvenerat urgebatque magnus Turcarum exercitus. Plurimum fiduciae ponebatur in Rege Galliae; utque stimulos admoveret homini studioso victoriae, in mentem ei revocavit Clemens

bella gesta triumphosque, & sanguinem, quem saepe & multum Galli pro Christiana Republica profuderunt. Commemoravit etiam illius in se studia & officia, justitiam, fidem & recenter admissum facinus in ejus Legatum Vandeletium: nam (quod nomen ad omnes nationes sanctum inviolatumque semper fuit) retentus ab Turcis, in vincula conjectus & fustibus etiam crudelissime verberatus. Nihilo tamen minus haud multum subsidii tum impetratum est, quod ita Galli a majoribus, & praesertim a Francisco I. instituti esse videantur, uti potius faveant, quam adversentur Turcarum dominationi. Dedit Ludovicus octies mille pondo argenti, facultatemque conscribendi milites in Gallia. Majora obtinuit Pontifex ab Hispaniarum Regina, quae quantum habebat triremium in expeditionem eduxit, praecepitque Neapolis & Siciliae Proregibus, ut quibus possent auxiliis succurrerent Venetis. Eminuit quoque pietas Caesaris, a quo subsidio venere obsessis quatuor fere millia militum duce Henrico Chimansechio. Magnus Etruriae Dux cohortem, quae suo sumptu militabat in Illyrico, praeterea frumentum, ar-

ma communis salutis gratia se subministraturum facile spopondit. Obtinuit Clemens ab Sabaudiae & Lotharingiae Ducibus pecuniam ad conscribendum militem in Gallia, magnamque tormentarii pulveris copiam a Mutinensi Duce, Lucensium Republica & Salisburgensi Archiepiscopo. Dedere alia alii, deprecatore Clemente, quae singillatim referre minime necessarium esse putamus. Ipse vero magnam argenti vim collectam ex suo aerario & ex decumis sacerdotiorum, quas Alexander Pontifex caussa belli Pannonici imperarat; & centies mille pondo pulveris suppeditavit. Milite quoque & suis triremibus, quarum imperium dedit Vincentio fratris filio, juvit Venetos, omnibus ostendens sibi cordi esse felicem exitum hujusce belli, perinde ac si de totius Italiae libertate, de omnibus Christianae Reipublicae fortunis esset dimicandum. Usque eo incensa sunt Pontificis studia, ut vel ipsos Persas, Scythas, Armenos sollicitaverit ad capienda arma adversus communem hostem (20); conquestusque graviter est cum Rege Poloniae, quod liberatus metu Tartarorum, qui in fines regni hostiliter excurrerant, consilium belli in-

ferendi Turcis abjecerit. Tot subsidiis per Clementem comparatis, nihil non sperandum esse videbatur. Sed non una erat auxiliaribus mens, non idem ardor in militibus: disputationes saepe oriebantur inter Duces de imperio, in aliis tarditas, in aliis nimia celeritas erat reprehendenda; quapropter haud injuria verebantur Cretenses ne idem sibi accideret, quod olim Syracusanis, quibus cum subsidio venissent Lacedaemonii non magis ab amicis, quam ab hostibus timere ipsi debuerunt. Sed qui cursus & exitus rerum fuerit haud silentio videtur esse praetereundum. Achomates, ut vocant, Vissirius, qui summam imperii in Turcas tenebat, tota hyeme an. MDCLXVII. commoratus est Cydone, ut expectaret copias, rei frumentariae, aliisque rebus ad oppugnationem necessariis prospiceret. Primo vere Cretam novam venit. Progressus inde cum paucis, ut situm urbis contemplaretur, magnitudinem munitionum adeo suspexisse dicitur, ut de expugnatione desperans pacem cogitaverit. Sed ejus consilia minime Barbari probavere. Interim Venetiis solvit egregie bonus & fortis Imperator Franciscus Maurocenus cum

grandi pecunia, tribus millibus militum & copia bellici instrumenti; priusque ejus adventus visus est, quam fama & nuntiis afferretur. Cretae vero Antonius Barbarus Legatus & Franciscus Villa, quem Veneti ab Sabaudiae Duce obtinuerant, ut terrestribus copiis praeficerent, maxime elaborabant ad oppidum majoribus munitionibus firmandum. Eodem tempore Turcae struere aggeres modico ab urbe intervallo coepere: tum crebris diurnis nocturnisque eruptionibus Veneti aut aggeri ignem inferebant, aut milites occupatos in opere adoriebantur, moenibusque appropinquare prohibebant. Praesidebant urbi ad sex millia lectorum militum; multitudo erat oppidanorum impigri ad labores belli & ad omnia pro patria subeunda parati: abundabant commeatibus, armis, tormentisque aeneis gravioribus, quae amplius quadraginta disposuerant per muros. Classis pars portum & vicina littora custodiebat; pars Cymanum & Drepanum promontoria tenebat. Praeerat huic Alexander Molinus rei navalis peritissimus, qui ubi primum pugnavit cum hoste undecim onerarias naves, quinque majoris formae & in his Praetoriam

cepit, reliquis in fugam conjectis. Sed haec res minime perturbavit Barbaros, quin immo ipsos audaciores fecit. Constabat eorum exercitus quadraginta millibus & amplius armatorum praeter voluntariorum & fossorum multitudinem, instructusque erat machinis, tormentis omnibusque rebus ad belli impetum sustinendum necessariis. Principio Achomates novam Cretam solo aequavit, ut spem receptus tolleret suis; deinde cohortatus milites sub primas munitiones successit, oppugnationemque instituit ab ea parte, quae ad occidentem solem spectat. Eodem tempore tentari urbis moenia aliis in locis jussit, & quae minime visa pars firma esse, huc concurritur. Sustinuere munitiones & obsessi impetum hostium, quorum non pauci occisi sunt. Sed cruentior etiam pugna fiebat in visceribus terrae. Cum enim Veneti transversis cuniculis hostium cuniculos excipere conarentur, non fossores modo, sed & milites, qui subsidio his veniebant, manus conferebant, tantusque erat furor pugnantium, ut saepe cuniculi ferro, ruina, fumo, enectorum corporibus obstruerentur. Utrinque magnus ceciderat numerus militum &

fossorum, . permagna erat copia sauciorum, aegrorumque; omninoque aggrediendo & defendendo pugnantes defecissent, nisi recentibus esset copiis subventum. In his comparandis mirifica erat Clemens vigilantia, qui quidem ad novos casus temporum, novorum semper consiliorum rationes accommodabat. Nec tam in humanis auxiliis quam in divinis, quae assidue implorabat, spes suas ponere obsessos jubebat, ejusque voces, quasi numinis alicujus, novam in pugnantium animis accendere virtutem videbantur. In tanta atrocitate belli fremebant Turcae: *satis jam se expertos esse frustra adlaborari in expugnanda urbe & munitione & loci natura tutam; si pergeretur, omnem profecto exercitum periturum; quando Achomatem cura non tangeret militum miserorum, consulturos ipsos sibi: nec Deum quidem fore auxilio iis, qui certum in periculum se committerent*. His vocibus perterritus Achomates modo victoriae & praemiorum, modo pacis spe placare animos militum studuit; utque credibiliora faceret dicta sua, significat Mauroceno rem gratam sibi foro, si mitteret quibuscum disceptaret de conditioni-

bus pacis. Inducias etiam petiit, quas negavit Imperator Venetus, quod ei esset persuasum dolo malo haec fieri omnia. Extimescens Achomates tum insolentiam suorum militum, tum ferocitatem belli, tum iram sui Principis, desperansque subita subsidia pulveris tormentarii, glandium ferrearum omnisque instrumenti bellici, cujus summa inopia conflictabatur, sollicitavit obsessos omni promissorum genere ad se voluntarie dedendos; sed haec spes quoque ipsum frustrata est. Nulla fortasse opportunior oblata est Venetis occasio opprimendi Turcas, & eam captassent, si quinque triremes Romanae, septem Melitenses & octo Hispanae, quae subsidio his temporibus advenere, aliquam ipsis utilitatem attulissent: plus enim apud earum Duces timor, quam pudor atque officium valuit. Validius deinde, quae paullulum remiserat, instaurata est oppugnatio, nihilque non tentatum est seu vi, seu dolo. Parum absuit quin extremo fere autumno Achomates potiretur urbe, ad cujus moenia per cuniculos, quos minime in tempore excepere Veneti, pervenit. Motus periculi magnitudine Maurocenus cohortatur milites: alii faces, atque aridam materiem in aggerem,

quem incredibili celeritate extruxerunt hostes, jaciebant; picem alii, reliquasque res, quibus ignis excitari potest, fundebant; ut quo primum occurreretur, aut cui rei ferretur auxilium, vix ratio iniri posset. Eodem tempore, clamore sublato, duabus portis fit eruptio sexcentorum peditum, quae res tantum timoris incussit Turcis, ut moesti, desperata victoria, in castra se receperint. Tribus & viginti millibus suorum oppugnatio hoc anno Turcis stetit; defensio Venetis septem fere millibus. Nec minores clades sequenti anno fuere, tantusque erat ardor pugnantium, ut ne hyeme quidem conquieverint. Vere primo Achomates tum opportunitate temporis, tum novorum auxiliorum, quae acceperat, copia invitatus extrema tentare decrevit. Itaque uno tempore undique in urbem impetum fieri imperat, sperans satis aut spatii aut copiarum haud habituros Venetos ad omnia defendenda. Pugnatur ab obsessis acriter, qui propter celeritatem & propinquitatem hostium, nihil jam Ducum imperium expectabant, sed per se, quae videbantur, administrabant. Fit magna caedes. Mutius Matthejus vir nobilitate insignis, qui Pon-

tificis cohortem regebat, interficitur. Quod in conspectu omnium res gerebatur, neque recte neque turpiter factum celari poterat. Omnes & laudis cupiditas, & timor ignominiae excitabat ad virtutem. Defensae munitiones, novae etiam, prout temporis angustiae ferebant, perfectae; veritique Turcae ne ab latere aperto eruptione circumvenirentur, re infecta in castra reverterunt. His rebus cognitis Romae VIII. dierum supplicatio indicitur. Post id Achomates adjecit animum ad occupandam Diam insulam, ubi classis aquabatur, & quo Cretam petentes ex Italia naves omnes dirigebant cursum. Erant in portu naves majores paucae, & plures rostratae; sed hae carebant remige, quod in urbe ad fossiones, aliaque adhibebatur. Laurentius autem Cornelius septem triremibus inter eam insulam & Cretam impediebat, ne ab Cydone & Rhitymna subsidia mari ad hostium castra supportarentur. Non dubitabat Achomates, quin si naves Cornelii superasset, insulam in suam redacturus esset potestatem. Visae huic rei sufficere triremes duodecim remige & milite optime instructae, quarum imperium dedit Du-

raco magni nominis archipiratae. Quanquam caverat sedulo ne consilium emanaret, rescivit tamen Venetus Imperator ad exploranda hostilia quaeque diligentissimus. Itaque viginti cum triremibus profectus Creta aggreditur Duracum nihil tale timentem, ut qui ad Cornelium unum opprimendum festinaret. Acerrime utrinque pugnatum est. Cum tres horas sic tenuisset praelium inter Imperatoriam Venetorum & Praetoriam Turcarum, ut neutra ab parte spes victoriae esset, imperat Maurocenus militibus, ut faces accendant, quas ad istiusmodi casus habebat paratas: tum totam collucentem flammis triremem quanto maximo poterat impetu in hostes immittit. Quo repentino objectu viso, tantum terrorem injecit Turcis, ut arma sumere nemo auderet. At Duraco hortante & pugnante ipso, resisti est coeptum, & non missilibus solum, sed etiam gladiis res gerebatur. Veneti, Duraco & Turcis fere ad unum omnibus interfectis, triremi potiuntur, reliquae claudae mutilataeque, ubi captam Praetoriam conspexere, omisso certamine fugerunt. Ea nocte pervenerunt in manus Venetorum quinque triremes,

Tur-

Turcae plus quadringenti, & Christiani captivi mille circiter & ducenti. Victoria si qua alia sermonibus hominum celebrata ea maxime est. Hanc post rem gestam non ita multis diebus quinque onerarias & plures actuarias naves cepit Maurocenus, in id maxime curam intendens, ne auxilia ad hostes trajicerentur. Tamen quoniam partibus innumeris appulsus patebat ad insulam, tantum paullatim subvehebatur, ut Achomates re prorsus nulla, nisi virtute militum ad oppugnandum indigeret. Terror oblatus a Turcarum Principe, qui Larissam venerat, ut rem propius cognosceret, crudelitas in supplicio, quod sumptum de iis est, qui minus fideliter negotium gessisse videbantur, nova religio jurisjurandi; spes proximae deditionis alacriores fecere Turcas ad quidlibet audendum atque tentandum. Veneti quoque minime segnes in re sua fuere; quodque suspicarentur Turcas impetum praesertim facturos in S. Andreae propugnaculum, qua vergit ad mare, locum natura munitissimum manu quoque munire adlaborarunt. Excitarunt etiam nova castella ad inimicorum opera disturbanda, cuniculosque tantae altitudi-

nis fecere, ut ſpiritum ducere foſſores haud potuiſſent, ni folle fabrili per tubos ex corio confectos immiſſo aere iis ſubventum eſſet. Sed eodem tempore, quo Barbari premere coeperunt S. Andreae propugnaculum, magno impetu quoque in alia loca irruere, ut jam Veneti minus ſe munimentis, quam munimenta ipſa armis & corporibus defenderent. Supererant non amplius quinque millia militum, hique diurnis nocturniſque laboribus confecti. Oppidani flammarum vi, quas multis in locis continua glandium igniferarum procella excitaverat, perterriti ſe in caveas abdebant, ut eſſent tuti ab ipſarum glandium ictu; neque erat quiſquam omnium, qui non in hujus pugnae exitu ſuarum omnium fortunarum eventum conſiſtere exiſtimaret. Edoctus Maurocenus de ſtatu rerum laborantibus ſuccurrit millibus peditum duobus & magna copia remigum, quibus foſſoribus uterentur. Quo ſubſidio accepto, tanta laetitia obſeſſos excepit, ut urbs ab hoſtibus eodem veſtigio liberata videretur. Excitatae illico novae munitiones fuere ad arcendos Turcas a propugnaculo S. Andreae. Sed hi, quo minime arduus ad mu-

titiones adſcenſus videbatur, omnibus fere copiis repente irruere. Eo concurrunt Veneti, pugnatumque ab iis ita acriter, ut a viris fortibus in extrema ſpe ſalutis. Occiſis eo die hoſtium millibus duobus, reliqui ſe ſe recipere coacti ſunt. Alia deinde oppugnationis ratio excogitata. Quadruplicem ordinem aggerum jungere muris inſtituit Turca ea altitudine, quae propugnaculum adaequaret: longum quidem opus, ſed quod perfectum magnas utilitates attuliſſet. Ad illud impediendum minime ſegnes fuere obſeſſi, objectiſque contra pluribus tormentis bellicis, factis ex oppido eruptionibus, ſuccenſiſque cuniculis, quos pulvere ſulphureo oppleverant, non parvum numerum hoſtium interfecere. Sed continuis certaminibus & laboribus minuebatur quotidie magis praeſidium; eoque res adducta, ut non modo defeſſo ex pugna excedendi, ſed ne ſaucio quidem ejus loci, ubi conſtiterat, relinquendi ac ſui recipiendi facultas dari videretur. Prope jam deſperata ſalute, cum placuiſſet convocari conſilium, nonnullae hujuſmodi ſententiae dicebantur, ut, eruptione omnis exercitus facta, aut ſubmoveretur hoſtis, aut omnes pugnan-

do gloriose occumberent. Majori tamen parti placuit, reservato tam praecipiti ad extremum consilio, defendi adhuc oppidum, & feliciora a Deo peti expectarique debere. Et quidem Clemente suis litteris, suis nunciis suisque cohortationibus omnes ad Christianae Reipublicae praesidium excitante, magnus auxiliorum numerus advenit, qui animos addidit obsessis, spemque salutis restituit. Tum crebrae fiebant eruptiones; aggeres aut perrupti, aut cuniculo succensi, magnisque detrimentis repulsi, qui ad nova construenda opera accedebant. Ubi diligentia & virtute Christianorum, & continuis imbribus nihil proficere se posse vidit Achomates, magnis praemiis pollicitationibusque milites, oppidanos & vel ipsum Maurocenum (offerebatur ei Valachiae & Moldaviae dominatio) ad tradendam Cretam sollicitavit. Hac spe quoque frustratus summam rei fortunam experiri deliberat. Sed fessi laboribus milites detrectare imperium, & palam conqueri plus oneris injungi, quam vires humanae ferrent; postea aperte tumultuari, ut Praetoriani (Janisseros vocant) haud pauci, desertis castris, in montes perfugerint. Litterae etiam ad Principem

missae, quibus eum orabant, ut finem tam diuturnae, tamque crudeli militiae faceret. Durum tulere responsum, frustra eos alibi terminum laborum sperare, quam inter Cretae moenia. Haec denunciatio, ars Achomatis, & tribuni unius supplicium milites ad officium revocavit. Hoc statu oppugnationis Kal. Novembris subsidio Venetis venit delecta manus voluntariorum ex Gallia, quibus praeerat Fulliadeus Dux Roannesius excellenti virtute. Fama accensus defensae Cretae illuc trajicere deliberat. Tanti Ducis exemplum movet ferocibus juvenibus animum, qui in illius se comitatum sponte dabant. Ex eo numero Rex ipse legit sexcentos aetate & virium robore pares, egregia nobilitate & virtute, quorum neminem sprevisses ducem. Tantus omnibus ardor erat in Cretam trajiciendi, ut non ad bellum duci viderentur, sed ad certa victoriae praemia. His de rebus ad Pontificem Rex litteras dedit, majora etiam pollicitus, quo faceret id, quod nuntiabat, laetius. Ducissa quoque Longevillae, de qua femina Jansenistarum scripta omnia praedicant, certiorem fecit Pontificem se ad bellum cum pecunia fi-

lium misisse, seque beatam putare, quoties sibi occasio dabatur fortunas omnesque res suas pro Christianae Reipublicae incolumitate, otio concordiaque devovendi. Clemens, qui aliter esse animatam illam feminam deceptus Jesuitarum vocibus putabat, tantum laudis tribuit illius pietati liberalitatique, ut animos eorum, qui turpiter in illam erant malevoli, fregisse visus fuerit. Galli feliciter appulsi Cretam eam partem munitionum sibi defendendam sumunt, quae pertinebat ad mare, in quam Turcarum major erat impetus, quam in ceteras. Locum cepere extra portam propugnaculi S. Andreae, ibique se muniere. Depulsi a Turcis ardore incredibili stationem recuperarunt. Sed necesse fuit Mauroceno retardare animos atque impetus hominum, qui certo mortis periculo se committere audebant, locumque iis intra urbem juxta propugnaculum assignavit. Paucis post diebus advenere ex Melita trecenti milites & equites sexaginta, quos magnus Ordinis Hierosolymitani Magister, Pontifice stimulante, cum bellicis instrumentis miserat. Statio iis data prope Gallos, ut eorum aemularentur virtutem; & quidem Veneti ho-

rum omnium opera optima fortiſſimaque ſunt uſi. Sed Galli graviorum certaminum cupidi minime uno loco contineri potuerunt, & poſt multa edita animi viriumque ſpecimina, univerſi erumpere deliberant, fruſtra diſſuadentibus non ſolum Venetorum ducibus Mauroceno & Cornelio, ſed etiam Roanneſio ipſo, qui ſe in milite non minus modeſtiam & continentiam, quam virtutem atque animi magnitudinem deſiderare ajebat. Tum ſibi unusquiſque dux adhortatorque factus ad rem gerendam acriter adoritur munitiones Turcarum, quas duo millia militum tutabantur. Non has modo Galli temeritate felici ſuperarunt, ſed amplius mille Barbaros occiderunt, in his Caterſolium Mahumetem, ut vocant, Baſſam, quem ſui ſcientia rei militaris omnibus praeferebant. Horum internecione ſic omnes copiae ſunt perturbatae, ut vix judicari poſſet utrum ſecundis nimiiſque rebus inſolentiores, an adverſis mediocribuſque timidiores eſſent Turcae. Hac re geſta, viginti circiter dies Galli ad Cretam manſerunt, omnes captantes occaſiones adjuvandi obſeſſos. Poſt id cum ſe ſatis honori, ſatis gloriae feciſſe putarent, in Galliam re-

diere, dimidia fere parte ſuorum amiſſa. Exeunte an. MDCLXVIII. actum de pace eſt. Hac de cauſſa Alexander Molinus vir conſilii magni & virtutis Lariſſam ad Turcarum Principem venit. Ac primis diebus, ut videbatur, libenter auditus, reliquis ad colloquium minime admittitur. Diſturbavit enim, nulla non arte adhibita, rem totam Achomates, cujus vehementer intererat, ſe inconſulto, minime pacem fieri. Nam, ſi Veneti traderent Cretam, cariturum ſe laude expugnationis videbat; ſi vero retinerent, non dubitabat quin ſolus invidiam & cruciatus etiam ob male rem geſtam eſſet ſubiturus. Quanquam Turcarum Princeps, qui mobilitate & impotentia animi novis ſemper ſtudebat imperiis, exercitum hyemare atque inveteraſcere in Cretae regno moleſte ferebat, ſubſidia tamen & commeatus omnis generis Achomati conſtantiſſime affirmanti brevi rem confectum iri conceſſit. Nec minori diligentia rebus ſuis proſpexere Veneti, & multis pro merito dederunt dona ſingulareſque honores, ut reliquorum animos ſpe praemii accenderent. Roſpilioſio quoque dari juſſa patera aurea viginti quinque pondo, id-

que ad magis magisque demerendam Pontificis gratiam. Diem ex die expectabant, quo ipse tolleret societates tres Coenobitarum S. Georgii in Alga, Jesuatorum & Congregationis Faesulanae (S. Mariae Gratiarum nominabant) quarum publicatis bonis aerario subveniretur. Et quidem sic illae a majorum institutis deflexerant, sicque, labente paullatim disciplina, languori desidiaeque se dederant, ut esse amplius haud mererentur. Sed rem quotidie differebat ac procrastinabat Pontifex, quod sperabat per eam se impetraturum a Venetis, ut abrogarent legem, qua cavebatur ne sacris coetibus ultra jus esset id bonorum genus adipisci, quod moveri non possit. Verum ubi cognovit Patres pertinacissime in proposito permanere, permotus periculi magnitudine atque impensarum, quae fieri debebant in bellum, non ultra cunctatus est Sodalitates eas tollere. Permissum tantummodo Ecclesiasticis emere bona Coenobiorum, ex qua venditione supra sexaginta millia pondo argenti ad Venetos pervenere. Nihil quoque non tentavit Senatus, ut praetextu Cretici belli pecuniam traheret ex bonis Coenobiorum, quae

in aliena ditione erant, sed haec Pontifex aliis usibus destinasse videbatur. Facile quidem permisit Senatui, ut tributum extraordinarium a Clericis Venetae ditionis exigeret, & bona quaedam divenderet, quae ad templum S. Marci pertinebant. Ad haec aliis beneficiis, ac praesertim suppeditando commeatus, pecuniam ac magnam pulveris tormentarii copiam voluit sibi obstringere Venetos; sed homines ingrati saepe molestias attulerunt optimo Pontifici, & tum praesertim, quando spretis pactis & promissis, opera quaedam ad Padum extruere coeperunt, quae Ferrariensibus maximum detrimentum erant allatura. Hujus rei nuntio adeo commotus est Pontifex, ut in morbum quoque sit implicitus: cum vero de Venetorum injuria cum Legato esset questus, ferunt loquutum minacius, quam is facturus putaretur, exprobravisseque ei officiorum suorum magnitudinem. Et quidem nunquam cessavit urgere omnes de ferenda opera atque auxilio contra Turcas, videbaturque id unum curare ut Christiana Respublica salva & incolumis esset. Milites a Mutinensium & Etruscorum Ducibus impetravit; habuit auxilia a Germanis, quos per

Legatum sollicitaverat, & praesertim a J. Friderico Duce Brunsvicensi, ab Duce Bavariae, a magno Ordinis Teutonici Magistro, ab Episcopo Argentoratensi; & multa continuaque prece tandem a Galliae Rege obtinuit, ut classem, in eaque cohortes duodecim, praetorianos milites quingentos praeter voluntarios in Cretam mitteret. Non modo verbis, sed re quoque gratum animum Regi declaravit, cum creasset Cardinalem Ducem Bullionensem, quod vehementer se cupere Rex ante ostenderat. Praeter id vexillum cum imagine Christi cruci affixi mittit Bellefortio Duci, ad quem summa imperii pervenerat. Hoc unice proponi jussit Rex, cum ad arma concurri oporteret: mandavit etiam Bellefortio videret, ut in omni re principem semper locum auctoritatemque teneret Rospiliosius Pontificiarum triremium ductor, in quo dignitatem magis Pontificis, quam virtutem Ducis se revereri ostendit. Ter enim ille Cretam venit, ter inde abiit nulla re gesta, unde in aliquo imperatorum numero possit esse. Horum subsidiorum adventu obsessis cum spe defensionis studium propugnandi accessit, & hostes eadem de cauf-

ſa ſpe potiundi oppidi dejecti ſunt. Sex illis menſibus, qui ab initio hujuſce anni ad Gallorum adventum intercessere, hoſtiles acies quotidianis pugnis contenderunt, faeda utrinque caede militum & ducum. In horum numero fuit Cornelius, qui ſubiit quidem indigniſſimam fortunam praeſtantiſſima gloria & virtute ſua. Conantibus ſuccurrere ſaucio militibus; *fruſtra*, inquit, *meae vitae ſubvenitis, quam jam ſanguis vireſque deficiunt. Veſtrae veſtrorumque ſaluti conſulite, & vulnera Chriſtianae Reipublicae per impios hoſtes inuſta recordamini ad ea veſtra virtute ſananda*. Longum vero eſſet enumerare foſſas, caſtella, cuniculos, muros, aggeres & alia hujuſmodi opera aut extructa, aut exciſa. Non ſemel vidiſſes Barbaros ſuorum cadaveribus complere foſſas, & per eorum corpora audaciſſime tranſire. Ipſa opera ea erant magnitudine, quam neque viderant antea Turcae neque audierant. Permovebantur ii etiam celeritate Venetorum, qui ſi muro aut propugnaculo recedere cogebantur, continuo aliud interius excitabant. Nec feminae quidem puerique in magno periculo conquieſcebant; omniaque facilia ex difficillimis animi magnis

tudo facere videbatur. Ubi nuntiatum est auxilia magna militum ex Gallia obsessis suppetias venire, Achomates Molinum accersit cum illo de pace acturus. Sed ne conficeretur, obstiterunt non tam ii, quos adhibere in consilium debuit Achomates, quam Senatus Venetus nimium fiduciae ponens in Gallorum auxiliis, & in tumultibus, quos magnos exortos fuisse Constantinopoli nuntiabatur. Galli interim pugnae avidi ubi Cretam appulere (quae sane res maximas habuit difficultates) periclitari illico, quid Turcae virtute possent, deliberant. Itaque paucis horis ab eorum adventu interjectis, concubia nocte ab duabus partibus erupere. Fit impetus in vallum, quo scisso, conclamant duces Bellefortius & Noalius occasionem rei bene gerendae omittendam non esse. Laeti, velut explorata victoria, tanta vi in munitiones irruere, ut tres eorum ordines momento temporis superaverint. Tantus injectus est terror hostibus, ut alii aliam in partem perterriti ferrentur, multique in vicinos colles confugerent. Ipsos aggeres, in quibus tormenta disposita erant, nudatos defensoribus Galli invenerunt. Jamque ventum

huc erat, ut ſi tumulos, quos opere praemunierant Turcae, unde fugere coeperant, tranſcendiſſent, victoriam in manibus fuiſſent habituri. Verum caſus intervenit, qui fortunam repente mutaret. Decidens forte ſcintilla in cados duos tormentarii pulveris incendium fecit, quo Galli aſſumpti ſunt ad triginta. Exiſtimare tum alii cuniculum eſſe ſuccenſum a Barbaris. Quare tantus ſubito pavor Gallorum animos praeoccupavit, ut a proximis orto fugae initio, omnes illico terga darent. Ubi Noalius turbata ſigna, & fluctuantem fugientemque aciem vidit, tum appellare, tum adhortari milites; tribunos principeſque ordinum nominatim ad iterandam ſecum pugnam vocare. Sed cum neque precibus, neque minis quidquam profeciſſet, amplius quingentis ſuorum amiſſis, ſe ſe in urbem recipere coactus eſt. Quam luctuoſa etiam & acerba tum fuit mors Belleſortii! Id ambigitur hoſtes ne, an ſui in tenebris ignoratum occiderint. Indignus certe tali exitu fuit vir ſatus regio ſanguine, omni bellica laude praeſtans, ſumma apud ſuos gratia, qui ſi aliquam ſuſceperat maculam civilibus illis Galliae motibus, delere quidem hac

expeditione una potuisset. Quoniam vero nihil adversi accidebat nostris, quod summa sollicitudine non afficeret Pontificem, ipse quoque doluit vehementer casum Bellefortii, & cum supplicationibus parentalia admiscuit. Parentatum autem Bellefortio in Aede Capitolina, quae erat adornata ad speciem magnifico apparatu, ad sensum cogitationemque acerbo & lugubri. Veriti Duces timorem Gallorum, quorum ut ad bella suscipienda alacer & promptus est animus, sic mollis ac minime resistens ad calamitates diu perferendas mens ipsorum est, de summis saepe rebus consilia ineunt, & ne caperent qualia in extremo casu capi saepe solent, fecit adventus classis triremium & navium majorum milite omnique copia instructarum. Tum maxime suos cohortatus est Noalius ad obliterandam nova virtute praeteritam ignominiam: *Vobis*, inquit, *non licet timidis & ignavis esse, qui toties bellicosissimas nationes vicistis, qui militatis sub potentissimo & invicto Rege, qui sequimini Christi vexillum hujusmodi in bello, in quo non vincentium magis, quam bene morientium fortuna laudatur*. Visi sunt conscientia facti perculsi amissos animos recuperasse, &

morae jam impatientes festinare ad pugnam. Verum quoties infesta signa hosti inferre debuerunt, eadem semper in iis apparuit infirmitas, idem pavor, quae res quantum animum addiderit Turcis facile est judicare. Porro his omnia in dies magis prospere procedere videbantur, & tentata semel iterumque cum esset belli fortuna a Christianorum classe, in qua spes praecipua ponebatur, contrarios semper exitus habuit. Itaque, infecta re, Diam concessit. Nec exinde adduci Noalius potuit, ut navibus suis adjuvaret Venetum, querens se prope dimidiam partem suorum caede, morbo & fuga amisisse. Aegre concessit Imperatori ducentos milites, quibus ad tuendas ruinas, sexcentos vero, quibus ad opera fossionum uteretur. Sed haec pro re perquam mediocria erant. Nam nostris non solum deficiebant vires, sed etiam instrumenta belli, quae supportari, interclusis itineribus, facile haud poterant: hostes vero acrius instabant, & fossas jam compleverant, sciderantque vallum aliaque opera, quibus propugnaculum S. Andreae & Sabulonariam (id castelli nomen est) praemunierant Veneti. Sibi suisque timens Mauroce-
nus

nus celeriter advocato concilio ſententias exquirere coepit. Fere omnes ad unum ſentiunt unam eſſe ſpem ſalutis noſtris, ſi eruptione facta, extremum auxilium experirentur. Summis precibus expoſtulant a Noalio, ut rem adjuvet; ſed ipſe obſtinato crudelique animo denegat, denuntiatque Imperatori ſe paucos poſt dies, militibus ſuis in naves impoſitis, vela in Galliam facturum. Vidiſſes pueros, feminas, Sacerdotes, ſaucios milites lacrimabili ſane ſpectaculo ad Noalium concurrere, eumque per quidquid eſt ſancti orare atque obſecrare ne ſua diſſenſione atque pertinacia rem ad ultimum & extremum deducat caſum. Sed ille, quod plerumque in ſummo diſcrimine timor miſericordiam non recipit, inexorabilem ſemper ſe praebuit, ac diſceſſionem maturavit. Fuere qui ſuaderent Roſpilioſio, ut dux ipſe ſummus copiarum Pontificis, cujus ſub vexillo militarent ad Cretam Galli, praeciperet Noalio, ne urbem deſereret. Sed experiri imperium non eſt auſus, veritus ſcilicet ut dicto audientem haberet. Ipſe quoque poſt Gallorum diſceſſum haud retineri potuit, cauſſam interponens dignitati Pontificis non ſa-

F

tis fore consultum, si Turcae potirentur oppido, ubi signa ejus & milites essent. Clamant omnes indignissime id fieri, & ipse Pontifex irati animi postea signa dedit. At severius egit Ludovicus Rex cum Noalio, quem utpote ignominiosissimae fugae macula notatum aditu suo prohibuit, & in exilium abire jussit. Tristitiam moeroremque obsessorum ob discessum Gallicae classis nonnihil levavit adventus trium & triginta navium, quas ducebat Alexander Picus Dux Mirandulanus. Videbatur Pontifex huic multum confidere, cum creasset Praefectum castrorum, magnamque ei auctoritatem in suas copias dedisset. Sed ipse quoque & Pontificis & Venetorum expectationem decepit. Exposito enim milite, pecunia & commeatu, quem advexerat, nihil illi fuit potius quam ut in Italiam rediret. Interim hostes, despecta nostrorum paucitate, ex omnibus fere partibus impetum faciunt. Hunc fortiter adeo sustinuere obsessi, ut Barbari plus esse intus praesidii, quam putaverant, timere coeperint. Facta etiam ad propugnaculum S. Andreae exitu haud infelici eruptio fuit; succensisque cuniculis ab ea parte, quae vergit

ad mare, Janisseri, qui eam premebant, multis eorum interemptis se se recipere coacti sunt. Singularis tum fuit Aloysii Minii trierarchi virtus. Nam conscensa a Turcis Sabulonaria, cum vidisset in summo rem esse discrimine, irrupit in medios hostes, nonnullisque interfectis, corpore suo velut cuneo viam militibus aperuit ad eosdem ab ipso castello murisque oppidi submovendos. Ad castellum S. Pelagiae diu pugnatum est singulari ardore, ut ne spatium quidem daretur militibus ad se colligendos. Nihilo tamen secius cura gravis animum Imperatoris angebat, quia desperabat se posse semper parare aliquid adversus machinationes oppugnantium, & ut quaeque pars oppidi nudata defensoribus premebatur, in eam advolare e vestigio, eamque defendere. Itaque, communicato prius consilio cum Ducibus, deditionem haud differendam censuit. Sed eodem tempore, quo pacem petiit ab Achomate, & de conditionibus ejusdem disputabatur, jussit milites in munitionibus consistere, speciemque defensorum praebere. Ad id nullam non artem adhibuit, ut persuaderet Achomati, haud extrema pati Venetos, expectareque jam

illos ab Italia nova fubfidia. Re multum agitata (nam Turca principio intoleranda poftulaverat) VIII. id. Septembr. pax tandem in has conditiones convenit: *Uti Veneti decimum poft diem Creta excederent; uti oppidanis alio abeundi poteftas effet, & hi militefque omnia, quae vellent, fecum adfportare poffent, relictis modo tormentis, quae ante bellum in urbe fuiffent: uti Amphimaliam, Grabufas & Spinam Longam, quaeque iis adjacent parvae infulae peninfulaeve aut fcopuli, tum Cliffam, agrumque ejus, & quidquid in Illyrico, nominatim in finibus Bofniae & in Albania cepiffet, Refpublica Venetorum retineret; ut Conftantinopolim ex more mitteret Legatum, qui ubi adveniffet, redderentur invicem captivi: ne quis anteactarum rerum accufaretur & multaretur: quibus belli tempore conceffa effet facultas piraticae faciendae, uti abrogaretur: uti demum rata haberentur, quae alias in pace facienda conveniffent.* Talis exitus fuit belli diuturnitate & atrocitate & malis quoque civilibus, quae inde confecuta funt, fane memorandi (21). Triennio, quo continuata eft oppugnatio, amifere Turcae fex & feptuaginta ferme millia militum, & duodetriginta millia fofforum; Ve-

neti praeter magnum fofforum aut remigum numerum viginti millia militum, & in his quingentos ferme nobilitate praeftantes. Haud tenuit oppidanos amor Patriae, quominus abeuntes Venetos fequerentur. Septendecim tantum remanfere ex fepties millibus & octingentis militibus & oppidanis, miferis fane miferrimi belli reliquiis. Vix credebatur exiguum adeo defenforum numerum toties potuiffe propulfare furentes impetus hoftium. In hoc extremo cafu profuit etiam Cretenfibus liberalitas Pontificis, qui fua pecunia multorum, ac praefertim Sacerdotum indigentiam fublevavit. Ceterum haud dici fatis poteft qui fuerit angor Pontificis ob infelicem Cretenfis belli exitum; & quafi innotefceret non effe amplius curae Deo fecuritatem noftram, fed effe ultionem, ad illius numen placandum tum dictis tum exemplo omnes invitare non ceffabat. Si cui nimis longa videbitur hujufce belli narratio, reputet quantum illud ad Clementem propter interpofitam operam, ftudium & laborem pertineat. Non putavimus autem ipfam narrationem interjiciendo alia facta plures in partes dividendam, quod rerum magis quam

temporum ordinem ſequi in hiſtoria conſcribenda oporteat. Itaque nos jam ad tempora referimus, quibus Clemens Pontificatum iniit. Laeta haec fuere propter ſpem omnibus injectam, fore ut Ludovicus Galliae Rex conceptum odium in populum Romanum deponeret. Multae cauſſae illud genuerant, & inprimis motus Corſorum militum, qui a Mario Chiſio Alexandri VII. fratre excitati fuiſſe videbantur ad compeſcendam ulciſcendamque intolerabilem Gallici Legati Ducis Crequii arrogantiam. Obſeſſa domus Legati fuit, plures vulnerati famuli, nobilis etiam ephebus ex familia occiſus, ſubiitque periculum vitae ipſius Legati uxor, dum domum repetit. Facti hujus atrocitatem, aut indignitatem, aut omnino culpam auxit Legatus, ut Regis animum implacabili iracundia occuparet. Et quidem is minaciter terruit Pontificem, qui pacem petere, & duras accipere conditiones coactus eſt. In his fuit, ut removerentur praeſidia Corſorum ex Urbe, utque pyramis ad eorum ſtationem erigeretur, in qua inciſum eſſet decretum, quo cavebatur, ne qui poſtea Corſi milites conſcriberentur. Hoc monumentum ho-

filibus inuſtum litteris eſſe aegre ferebat Clemens; quare de illo tollendo ſtatim egit cum Ludovico Rege. Hic quidem rem differre in diem, quod ſe non ſuperbia facere, neque quo illius ſtudio rectiſſimo non obſequi vellet, ſed quod majora ſe habere diceret, quae cum eodem tranſigeret. Omnes interim captabat occaſiones benemerendi de nomine & dignitate Pontificis; ac viciſſim curabat Clemens, ut ſua in Ludovicum benevolentia illius erga ſe benevolentiae pariter aequaliterque reſponderet. Quo vero haec amicitia non ſolum amoris, ſed etiam cujuſdam conjunctionis vinculis aſtringeretur, libentiſſime aſſenſit Ludovico, ut natum ei filium aliquis ſuo nomine e ſacro baptiſmi lavacro ſuſciperet. Ad hanc rem Legatum delegit, uti ſupra quoque commemoravimus, Ludovicum Cardinalem Vindocinenſem generis ſplendore (regia enim ſtirpe ortus erat) & divitiis ornatiſſimum. Illa ſolemnis caerimonia peracta eſt in oppido S. Germani, quo in loco ortus Rex ipſe fuerat, qui quidem curavit, ut pompae plena eſſet, ut haberet ſummam ſpeciem & dignitatem, non tam ut ſibi, quem nil niſi magnificum & ſplen-

didum delectabat, quam ut Pontifici satisfaceret. Invicem missa etiam munera satis larga, factaeque aliae voluntatis significationes. Sed nihil Ludovico carius & acceptius fuit, quam delata sibi a Pontifice potestas praeficiendi quos dignos judicasset Monasteriis, aliisque majoribus Sacerdotiis, quae sunt in Comitatu Russinonis, & in ea parte Belgii, quam in ditionem suam redegerat (22). Nimium indulsisse visus est Pontifex Hispaniarum Reginae, quae de hac re questa etiam est, vetera officia sua Clementi exprobrans. Sed facile ei fuit ostendere nihil a se gestum quod non modo probabilem, sed etiam sapientem non haberet excusationem. Porro multum semper interfuit Pontificum Romanorum habere benevolos Galliarum Reges; & hoc non mediocre grati animi sui in Clementem indicium esse putavit Ludovicus, quod Legato suo mandata dederit de tollenda pyramide (23) de dirimendis quibusdam disceptationibus caussa Avenionensis Provinciae, deque confirmando promisso se semper concordi voluntate Sedis Apostolicae & Christianae Reipublicae dignitatem defensurum. Vehementer tum agitaba-

tur in Gallia de infirmandis atque convellendis pluribus capitibus Nannetensis edicti, quod Henricus IV. an. MDCXCVIII. edixit, ut subjectas sibi gentes, quae a Catholica Religione discesserant, pacaret, & quibusdam pactionibus obligaret. Consilia, quae hac de re dedit Clemens, fuere plena moderationis, plena prudentiae, plena studii in Catholicam Religionem. Et sane, qui immolandum censuere multorum civium sanguinem, exuisse videntur omnem humanitatem atque lenitatem, quae a Christo praecepta, & in communibus hominum sensibus, & in ipsa natura posita atque infixa est. Ipsum Sixtum V. qui in eo foedere, quod factum est in Gallia contra Calvinistas, acerba & severa pro suo ingenio Foederatis dederat consilia, facti postmodum poenituisse fama est; reputantem a bono parente non statim ultima experienda; molliter imo tractanda animorum vitia; revocandam prius omni arte & patientia vel dubiam, vel etiam in pejus inclinatam filiorum indolem; saepe mora sanari quae exulceret alioqui festinata severitas. Neque minus Clementis prudentia apparuit in iis rebus, quae ad Jansenistas pertinebant, de quibus paullo

altius ordiri licebit. Cornelius Jansenius Iprensis Episcopus dolens nova a Jesuitis in theologiam inferri, librum incredibili labore composuit de gratia Dei, in quo quidquid esset se habuisse profitebatur ab Augustino, cujus summe studiosus fuerat. Moriens librum haud vulgatum amicis commendavit, subjecitque judicio Romani Pontificis. Nihil reliqui sibi fecerunt Jesuitae, ut opus, quod Molinismum praecipue oppugnabat, & plusquam quinquaginta errorum reum Molinam faciebat, supprimeretur; sed id frustra fuit. Vulgato libro tum Lovanii tum Parisiis, magno conatu studioque egerunt, ut ille damnaretur, satisfecitque, sicuti supra commemoravimus, illorum desiderio Urbanus VIII. Eodem tempore venerunt ex Belgio Romam Legati orantes Pontificem, ne quid gravius de summo viro consuleretur, cujus honori cum prospiciebant, dignitati quoque incolumitatique Augustinianae doctrinae se prospicere dicebant. Fuit hoc Christianae Reipublicae malum, ut in unum Jansenium omnium animi spectare viderentur; ex quo factum est ut concertationes in disputando pertinaces, jurgia, convicia publicam

tranquillitatem perturbaverint. Nec aberant doli & machinae; minimeque obſcurum eſt, quid Nicolaus Cornetus Collegii Sorbonici Syndicus molitus fuerit, ut collegas ſuos ſuam in ſententiam traheret. Quae ipſe geſſit plurimum valuere ad obtinendam damnationem quinque propoſitionum, quae Janſeniſmo cauſſam dederunt; cumque judicio Sorbonae plures ex eorum coetu, & Senatus ipſe Pariſienſis ſe ſe opponerent, res delata ad Innocentium X. Pontificem fuit. Hic propoſitiones excutiendas mandavit, reque multum ac diu agitata, non ſolum definivit illas haereticas eſſe (24) ſed etiam ex Janſenii ſenſu depromptas fuiſſe. Nullus profecto extitit, qui illa quinque capita ut impia minime deteſtaretur, ſed ita ſenſiſſe Janſenium plures fateri recuſabant, ajentes; *totum illius librum nihil aliud habere quam vulgarem gratiae efficacis doctrinam, ejuſque vitam, mores & ſcripta omnem ſuſpicionem erroris evertere*. Addebant alii; *ex revelata fide traditioneque ad nos tranſmiſſa pendere Chriſtianorum ſalutem; ex ſingulis vero factis minime a Deo revelatis non pendere, eamque ob rem in diſceptandis fidei controverſiis infallibili Dei*

ſpiritu regi Eccleſiam, at non item in facti quaeſtionibus, quod pluribus argumentis & exemplis confirmabant. Quantos haec clamores, quantaque odia excitaverint non ſatis dici poteſt; cumque Jeſuitae in ſuas partes traxiſſent Mazzarinium, non ſolum judicio atque diſceptatione, ſed vi atque impreſſione ſe everſuros adverſarios ſperabant. Impetus illorum ſuit acrior in incolas Portus Regii, quam in ceteros; compleverantque totum pene orbem lamentatione; *S. Cygirani Abbate & Iprenſi Epiſcopo ducibus, arcanam eò in loco coitionem factam ad evertendum Incarnationis myſterium, abrogandam Evangelii tanquam apocryphae fabulae fidem, delendam Chriſti religionem, & hac nefaria ſocietate manente, nihil poſtea in toto Galliarum regno neque ſacri neque religioſi futurum*. Qui mores, fidem, pietatemque illorum incolarum noverant, non poterant haec ſine horrore audire, nec ſine fletu videre malorum, quae perpeti debuerunt, iliadem. Interim ſcriptis hinc & illinc acriter pugnabatur; dolendumque homines ſummos Arnaldum, Paſcalium & Nicolium, ceteroſque hujuſmodi diſputationibus impeditos fuiſſe, ne Eccleſiam Dei &

Litteratorum Rempublicam praeclaris utilissimisque operibus magis magisque augerent. Perpauci tum erant, quibus sapientiae laude perfrui tranquille liceret; cumque novarum perturbationum caussae quotidie magis quaererentur, in magnitudine animi facillime pertinacia, & nimium adversariorum odium innascebatur. Ut eos, quorum voce & scriptis erant violati, Jesuitae haeresis accusatione perstringerent magis, excogitarunt formulam quandam, cui qui subscribere recusarent, communi maledicto notarentur. Fortissimus adjutor ad rem perficiendam fuit Petrus de Marca Tolosanus Archiepiscopus, qui primus pronuntiare non dubitavit, omnem *de facto*, ut loquebantur, controversiam *ad partem dogmatis spectare*. Itaque, illo auctore, Clerus Gallicanus in comitiis an. MDCLVI. formulam proposuit, cujus clausula erat, eum fuisse Jansenii sensum, qui damnabatur in illis quinque haereticis capitibus (25). Haec delata ad Alexandrum VII. P. M. fuerunt, qui ut erat in Jansenistas concitatus tum sua sponte, tum stimulos admoventibus Cardinalibus Albitio & Pallavicinio, vehementer laetatus est occasionem sibi datam

eos opprimendi. Itaque constitutionem edidit, qua postquam in *filios iniquitatis*, ut ipse appellabat, invectus est, diris execrationibusque Jansenium, ejusque doctrinam incessit. Sed tum minime sermo fuit de ejurandâ illa doctrina conceptis verbis, qua de re sollicitatus a Jesuitis eorumque fautoribus, novam constitutionem an. MDCLXV. promulgavit. Juvat ipsius constitutionis verba exscribere, ut semen & caussa magnarum discordiarum cognoscatur. *Ego N. Constitutioni Apostolicae Innocentii X. datae die 31. Maii 1653. & Constitutioni Alex. VII. datae 16. Octobris 1656. Summorum Pontificum me subjicio, & quinque Propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen Augustinus, excerptas, & in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio ac damno, & ita juro: sic me Deus adjuvet, & haec sancta Dei Evangelia.* Facile Ludovico Regi persuasum e re sua esse, ut omnes, qui in Ecclesiae castris militabant, constitutioni Pontificiae apud saeculares Judices iis verbis subscribere cogerentur; addebatque Jesuita Annatus, qui ipsi erat a confessionibus, peropportunam sibi videri occasionem

ad homines pertinaces ac tumultuosos exonerandos, ducesque amentiae ablegandos. Extitit Alectae Episcopus, qui de tota re docere Regem studuit; sed ei ferociter responsum est; exsecrationesque atque minationes passim terrorem afferebant. Nihilo tamen minus Regis minantis auctoritas haud quidquam obtinere potuit non modo ab Alectae, sed etiam ab Andegavi, Apamiae & Bellovaci Episcopis, quorum exemplum secuti sunt Portus Regii incolae, omnes una voce contendentes; *sejungendum jus a facto; in illius confessione hujus defensionem suscipi posse; magnam quidem apud omnes, & in primis gravem esse debere Romanorum Pontificum auctoritatem vel in ipsis facti quaestionibus, sed in his haud injiciendam religionem, nec posse sacramentum justum judicari, quod interponitur ab iis, qui probabilem & prope veram caussam reddere possunt, quare id, cujus confessio exigitur, non fuerit*. Inventum est temperamentum a quibusdam aliis Episcopis, quo se subscribere posse putaverunt formulae a Pontifice praescriptae (26). Sed quidquid novi excogitabatur, novarum disputationum & discordiarum caussa & origo erat; omni-

noque ab Ecclesia Gallicana pax exulasse videbatur. Ad hanc revocandam tanquam hominem aliquem e caelo delapsum omnes intuebantur Rospiliosium. Neque enim obscurum erat ipsum pacifica Decessori suo dedisse consilia, quando Choiseulius Convenae Episcopus & Jesuita Ferrierus, & summi illi Theologi Lalana & Girardus, ipso approbante Rege, Parisios convenere acturi de reconciliatione concordiae. Nondum Rospiliosius comitiorum conclavia reliquerat, cum plures ei persuadere studuerunt ita animatos esse in Jansenismum quatuor, quos supra commemoravi, Episcopos, ut nihil ad eorum mentes flectendas proficere potuisset; quare, sicuti praeceperat Alexander, & Rex ab eo petierat, acria & severa judicia in eos exercenda. Difficile est ineunti Principatum omnia videre, omnesque declinare machinas; & quanquam populus ipse monuisset Pontificem, ut caveret a Jesuitis, his tamen eorumque fautoribus postulantibus, decretum, quod Alexander fecerat, adversus eosdem Episcopos (27) magna ex parte approbavit atque confirmavit. Verum, re melius cognita, dirarum obnunciationem negligendam,

con-

consulendum eorumdem honori & famae, providendumque tot malis, quibus jamdiu Christiana Respublica affligebatur, putavit. Interim litterae venerunt Pontifici ab novem supra decem Episcopis totius Galliae doctissimis sapientissimisque, quibus declarabant miserum, acerbum & calamitosum sibi videri impiorum poenas a sanctissimis expeti Episcopis, qui in exponenda populis suis Alexandri constitutione & formula jurisjurandi ab eo praescripta minime jus cum facto confundendum putarunt; novum esse atque omnino inauditum dictum illorum, qui tuentur si quid humani minimeque a Deo revelati Ecclesia & Pontifices factum esse affirment, his eamdem fidem habendam ac decretis illis, quae vocantur dogmata, quorum nullum sine scelere in dubium revocari potest; bonos omnes detestari quae per summam fraudem atque malitiam fingebant nonnulli ad violandam existimationem illorum, qui regendam Ecclesiam suscepere; nec passuros se ut judicium fieret de horum factis & fama ex potentium libidine, sed ex sanctorum Canonum praescripto. Eadem ferme eodemque tempore scripsere Re-

gi, fierique quaedam ad meliorem ſpem inclinatio viſa eſt, faventibus Tellierio, Lionnio, & Colberto, ipſoque Rege, qui paullo ante cruces & tormenta Janſeniſtis minitatus fuerat, pacem expoſcente. Sunt enim aliquando regiae voluntates, uti vehementes, ſic mobiles, & ſaepe ipſae ſibi adverſae. Praeter quam quod animus ſuperbia elatus, qui ſe natum imperio putabat, tacite indignabatur, quod ſuos continere minime poſſet, dum potentiſſimas nationes obnoxias habebat. Ad rem gerendam praebuit ſe ducem Senonenſium Archiepiſcopus Gondrinus, cujus maxime pollebat auctoritas, & cum eo in colloquium Legati Pontificii Petri Bargellinii venerunt Eſtrenſis Lauduni, & Vialartus Catalauni Epiſcopi. Convenit inter eos de non revocandis litteris (*mandamenta* vocant) quas vulgaverant quatuor ſupra commemorati Epiſcopi, dummodo ipſi, convocatis Synodis, declararent quicquid damnaſſent Eccleſia & Pontifices ſe quoque ex illorum ſenſu ſincere, omnino, nullaque re excepta damnare; ſponderentque ſe ſuoſque tacite veneraturos, quod de Janſenii facto pronuntiaverat Alexander (28).

Haec approbarunt Episcopi, quanquam principio dissenserit Pavillonus Alectae Eiscopus, qui a Jansenistis suarum partium princeps habebatur. Vicit obstinationem illius sententiae tum collegarum exemplum, tum Arnaldii auctoritas; ipseque cum reliquis subscripsit litteras ad Pontificem, quibus eum docebant se jussa executos esse, & prolixe de omnium voluntate erga summum Ecclesiae Pastorem pollicebantur. Hoc facto cognitoque, plerique laeti ac spei bonae pleni fuere. Rei vero novitate perculsi Jesuitae nec lacrimas tenere, nec linguam moderari potuere. Ex his Annatus superba & injuriosa Legato Pontificio dixit; nihilque non egit ad rem prope jam explicatam perturbandam atque impediendam. Fuere etiam qui injecerint Clementi scrupulum ac dubitationem minime sincere egisse in hac re Gallicanos Episcopos, deceptumque per eos Bargellinium fuisse (29). Dum omnes de hac re pro suo quisque sensu loquerentur, ea acta fuerunt tum a summo Pontifice, tum a Galliarum Rege, quae non sinebant amplius dubitare redditam tandem Gallicanae Ecclesiae pacem fuisse (30). Rex hac re maxime laetari &

gloriari visus est; nec mediocre est indicium numisma, quod sibi cudi jussit cum hac inscriptione: *Restituta Ecclesiae Gallicanae concordia* (31). Sed praesertim Clementis consilium laudandum est, qui fractam & debilitatam vim esse voluit Jesuitarum, per quam nulla non modo dignitatis, sed ne libertatis quidem honestis, sapientissimisque viris pars relinquebatur. Hinc frenata delatorum quaesitorumque intoleranda audacia; redditi suis Collegiis Canonici, Monasteriis Sanctimoniales; honos, dignitas, locus, ordo Ecclesiae Ministris restitutus; revocati plures ab exilio; summus ille sacrorum librorum interpres Sacius carcere emissus; multi qui tectis ac tenebris continebantur ad adspiciendam lucem vocati; honorati in ipsa Regis aula, qui indignissime contempti jacuerant (& sane quam honorifice excepit Ludovicus Arnaldium, & quam ornate ac graviter dé tota Arnaldiorum familia praedicavit!) Claudius de S. Martha, Joannes Hamonius, Petrus Nicolius, & totus ille delectus virorum, qui egregiam operam dederant Abbatiae Portus Regii, restituti unde adversariorum potentia illos dejecerat; illa ipsa

Abbatia, in quam Jesuitarum odium praesertim eruperat, non suam modo calamitatem detraxisse, sed etiam dignitatem auxisse videbatur; laudabanturque, tanquam exempla innocentiae & pietatis, Virgines, quibus paullo ante sacris interdictum fuerat, quarumque aditum sermonemque multi ex Jesuitarum consilio defugiebant, ne quid ex contagione incommodi acciperent. Mirum autem videri potest in omnibus actionibus, sententiisque omnibus, quae Jesuitas videbantur offendere, homines, qui Jansenistarum partium erant, eamdem semper constantiam retinuisse; nec modo praemiis, sed ne periculis quidem ullis, quibus moventur etiam fortissimi viri, adduci potuisse ad susceptam caussam deserendam. Reddita autem pace, omnes Clementis nomen in caelum ferebant, Deumque orabant, ut sibi tam multa pro veritate atque innocentia perpessis atque perfunctis concederet, ut officium suum Christianae Reipublicae, memoremque in benemeritos animum tuto ac tranquille praestare possent. Hujus sui sensus Arnaldius testimonium amplissimum dedit, cum dedicasset Clementi opus *de perpetuitate Fidei* in iis rebus

quae ad Euchariſtiam pertinent (32), quo certe nullum nec nobilius, nec praeclarius extitit ad convincendos hac in re Calviniſtarum, ceterorumque haereticorum errores. Inchoaverat opus Nicolius an. MDCLXIV. cum in agro vitam ageret apud Varetum doctum hominem, qui hiſtoriam pacis partae per Clementem IX. uno volumine complexus eſt (33). Etſi ille nemini concederet de cupiditate juvandi Eccleſiam ſcriptis ſuis, depoſuit tamen opus de manibus, ut locum relinqueret Arnaldio tractandi materiam facultate & copia ſua digniſſimam. Senſerat hic moderandum orationi, fugiendamque lectorum ſatietatem; ſed in quibuſdam capitibus, & in illis praeſertim, quae probant perpetuum mirificumque Orientalium Eccleſiarum cum Romana Eccleſia conſenſum, circumfluere & abundare voluit, ut funditus adverſariorum argumenta everteret. Ceterum non ſatis laudari poteſt judicium ac doctrina Auctoris: quam appoſite, quam diſtincte, quam explicate, quam illuminate & rebus & verbis dicit! Profecto ſi ipſa per ſe veritas cauſſam ſuam defendere debuiſſet contra haereticorum aſtutias, non majori eruditionis do-

ctrinaeque apparatu, vi, perſpicuitate atque evidentia rem confecturam fuiſſe arbitror. Dum plauſus maximi a bonis huic operi impertiebantur, uni ſilebant (invidioſe quidem) Jeſuitae; dolebantque multi magnum ingenium Arnaldii, magnumque optimarum artium ſtudium, tum omnem liberalem & dignam homine nobili ab eo perceptam doctrinam, quibus temporibus florere in Eccleſia maxime potuit, aut caruiſſe rebus humanis, aut in inanes diſtractam fuiſſe diſputationes. Non deſtitit Clemens ſtimulare atque excitare divinum ingenium, ut novum aliquod opus pro defenſione veritatis ſuſciperet. Sed quae ſoluto animo ſcribi ſolent, ea temporibus illis, quae poſtea conſecuta ſunt (non enim diu pace frui licuit, minime erepta Jeſuitis omnia miſcendi licentia) excludebantur. Clemens autem cum hoc ſuſcepiſſet non ſolum juſtitia, ſed etiam miſericordia adductus, ut excellentes viros miſeriis & timore liberaret, non potuit in iis rebus, quae adverſus eos machinabantur Jeſuitae, negligens eſſe. Itaque Olivam, qui Societati praeerat univerſae, minis terruit, niſi ſuos juberet talibus viris pacatos eſſe, omnes-

que, constituta concordia, sine querela utilioribus studiis vacare. Non me latet pacifica Clementis consilia caussam dedisse malevolorum, ne dicam impiorum, criminationibus; sed has resellere injurium foret Pontifici Catholicae rei studiosissimo, pro qua se mori cupere, & cui se totum dedisse, & in qua omnia sua posuisse, & quasi consecrasse jure gloriari poterat. Hoc flagrans Pontificis studium defendendae veritatis, revocandique errantes ad eam, cum fama & gloria ipsius vel ad remotissimas penetravit regiones. Itaque, illo hortatore, plures in gratiam cum Romana Ecclesia rediere, fueruntque alii, qui ejus amantissimis prudentissimisque consiliis confirmati in suscepto proposito permanserunt. Impulit animum Julii Francisci Saxoniae, Angriae & Vestphaliae Ducis ad defendendam caussam Catholicae Religionis: monet atque lacrimans obtestatur, ut sibi suisque populis consulat; satis se jam nosse virtutem illius, neque hanc pati debere, ut iis in regionibus minus prospere res Catholicorum procedant. Cum ejurasset Calvinianam haeresim Comes Berthemiensis, cujus imperio subjiciebatur regio illa, quae est

inter Amisem & Luppiam, providit Clemens, ut quaedam nova & salutaria ab eo instituerentur, per quae vetus Religio stabilitatem iis in locis haberet. Petierat Hispaniarum Regina a Batavis pecuniam ad conscribendos milites, seque iis partem Geldriae pignori daturam spoponderat. Id ut audivit Clemens vehementer obstitit ne quid Orthodoxorum Respublica detrimenti caperet. Plura gessit in Germania aut per Legatos suos, aut per Episcopos, maximeque per Guidubaldum Cardinalem Thunium Archiepiscopum Salisburgensem, ne longius serperet haeresis; utque rei Catholicae, quae quotidie magis ruere videbatur, consuleretur. Persuasit Francisco Mariae Bavariae Duci, quod frustra Decessores sui tentaverant, ut bona duodecim monasteriorum, quae possidebat, redderet, ejus fidei, bonitati ac justitiae monachos, omnemque rem Catholicam maxime commendans. Tum precibus, tum minis obtinuit a Jacobo Majoris Armeniae Patriarcha, ut quibusdam Armenorum erroribus, quos Florentinum damnaverat Concilium, publice renuntiaret, & majorum instituta sacris caeremoniisque retinendis tueretur. Inter moras,

& dubitationes Henrici Tureniae Comitis hunc quoque hortatus eſt ad ſe dedendum veritati; nec ſatis dici poteſt quam laetatus ſit cum, litteris acceptis, audiit homini ſummo atque omnino ſingulari tum conſtantia in rebus adverſis, tum modeſtia in proſperis, tum prudentia in difficillimis, tum virtute in periculoſis additam verae Religionis laudem fuiſſe. Optaſſet hunc habere Romae Chriſtianiſſimi Regis Legatum, idque petierat ab ipſo Rege, a quo omnia, quae vellet, obtinere poſſe videbatur. Sed ille ne rogari quidem ſe paſſus eſt, quod e re ſua eſſe putavit, cum perſequi Batavos bello deliberaſſet, uti viri experientiſſimi opera, cujus vita non offenſionibus belli, ſed victoriis atque triumphis erat traducta. Hac mente nihil non egit Ludovicus, ut ſibi Carolum II. Angliae Regem conciliaret, quae dum agerentur per feminas, quarum illecebris facile Carolus deliniebatur, ſperavit fortaſſe Clemens ex hac conciliatione utilitatis aliquid rem Catholicam percepturam. Erat enim Carolus ſua ſponte in hanc propenſus, ſed reminiſcens indigniſſimum Patris infortunium, nil niſi caute pedetentimque agebat.

Praeter quam quod retardabant eum voluptates blandissimae dominae, & quaedam iners & pene somniculosa natura, quam tamen plura animi ingeniique bona comitabantur. Huic quidem stimulos admovisse suspicor Clementem per occultos homines; maximamque gratulationem ipse fecit illius fratri Duci Eboracensi, quod nuntium haeresi, in qua natus & altus fuerat, remiserit. Caussam huic mutationi dedit *Historia Reformationis* per Heylenum scripta, quae casu in illius manus pervenerat. Nam quo studiosius ab hoc Scriptore absconditur, eo magis apparet totam illam conversionem rerum Anglicanarum attribuendam esse Henrici VIII. incontinentiae, Somersetiae Ducis ambitioni, Elisabethae Reginae malis artibus, & avaritiae illorum, qui in bonorum Ecclesiae possessionem venerant. Haec sedulo meditanti obtulit se se veritas, ad quam inquirendam cum minime praejudicatam opinionem afferret, statim libentissimeque illam amplexus est. Ut erat Clemens diligentissimus ac studiosissimus salutis Christianae Reipublicae, circumspiciebat omnes procellas, omniaque periclitabatur, ut eos qui erant in lu-

brico, cura ſua ac providentia juvaret; & mirum profecto omnibus videri debet, ipſum in tam brevi Pontificatus ſui curriculo adeo multa & glorioſa perficere potuiſſe. Saepe eum occuparunt res Polonorum, qui regiones obtinentes fertiles & aequiſſimas, longe lateque porrectas, videntur eſſe prope divinitus conſtituti in Chriſtiani imperii limitibus ad propulſandam barbariem. Irrepſerant haeretici in Ducatum Maxovienſem, quorum contagione ne regio illam contaminaretur, providentia ſanctiſſimi Pontificis maxime factum eſt. Cum vero litteras tum ad Regem, tum ad Epiſcopos mitteret, quam paterne, quam ſtudioſe eos adhortabatur, ut patriae Religionis defenſores eſſent, ut non ſolum introitu, ſed omnino Regni aditu errores prohiberent! Accidit iis temporibus, ut Rex ipſe Caſimirus, cui nulla requies erat ab externis & civilibus periculis, & domeſticis doloribus (quid ni Aloyſiae Gonzagae optimae cariſſimaeque feminae mortem defleret?) de abdicando ſe Regno deliberaverit. Non hortatione modo, ſed & precibus cum illo egit Clemens de hujuſmodi repudiando conſilio, quod Regno & Religioni

periculosum arbitrabatur. Ubi vero haec nihil proficere intellexit per Galeatium Marescottum Legatum suum eidem significavit, ne speraret se posse aut redire ad Jesuitas, aut Cardinalatus insignia repetere, postquam illis renuntiaverat: omnino miserandam illius sortem fore, & regia majestate indignam, cum extorris domo, patria solus atque omnium honestarum rerum egens non haberet quos accederet, aut quos appellaret. Sed haec quoque frustra fuerunt. Nam Casimirus in proposito mansit; cessitque regno XVI. Kal. Octob. an. MDCLXVIII. Non dubitavit hic quin aliquid sibi praesidii foret in amicitia Ludovici Galliarum Regis, cujus ambitiosus animus laetandum magis quam dolendum casum putavit Regis, qui defessus injuriis fortunae otium & tranquillitatem in Parisiensi S. Germani Monasterio quaerebat, & subsidium rei familiari ab eo postulabat. Huic subvenit ditissimorum sacerdotiorum redditibus eidem attributis, quod ut sibi facere liceret facile a Clemente impetravit (34). Interim de eligendo successore a Polonis agi coeptum. Beatos illi se putant, quod facultatem omnibus populis

initio a natura conceſſam Reges ſibi adſciſcendi, illoſque in accipiendo regno obligandi quibuſdam pactionibus pro incolumitate felicitateque Reipublicae retinuerint. Comitia Regi creando habentur in campo. Equites, qui Poloniae quam plurimi, in armis & centuriatim ſuffragia ferunt; plebs nullo in numero habetur, utpote quae univerſa mancipi eſt. Candidati regno petendo tota ex Europa concurrunt, qui ſtirpe, qui opibus, qui belli gloria maxime florent. Erant tum plurimi & apud illos gratioſi nominis fama, liberalitate, imaginibus; ſed eminere videbantur Condaeus Princeps, Dux Neoburgenſis, Carolus Princeps Lotharingius, & Regis Moſcorum filius, qui multa magnaque Polonis pollicebatur. Ex conſilio Caſimiri Regis Clemens ſollicitavit Coſmum Mediceum, qui tum per Europam peregrinabatur, ut in Poloniam protinus pergeret ac properaret; & ſi quicquam ad ſpem ei oſtenderetur (magna enim erat hominum opinio de illo) non dubitaret ipſe quoque cum ceteris contendere (35). Sed plures cauſſae fuerunt cur Coſmus, quamvis graviſſimi magnae rei eſſent auctores, in competitoribus annumerari

recusaverit. In variis voluntatibus non destitit Clemens hortari Patres, ut conjunctis animis eum eligerent, cujus justitia religioque cognita esset. Ventum est ad comitia IV. Kal. Junias an. MDCLXIX. vocati Patres, lata suffragia, descripta, renuntiata; longe plurimum valuit Michael Visniovicius. Aberat tum a comitiis Archiepiscopus Gnesnensis Regni, ut vocant, Primas, qui non tam cito confici rem posse putaverat. Sed, ubi rumor ad eum perfertur de electo Visniovicio, advolat ad campum, ibique eum in edito loco veluti in solio sedentem magna fautorum acclamatione offendit. Sed nil tum rite gestum, multique obstrepentes aversum ab eo animum ostendebant. At brevi illae turbidae comitiorum undae & procellae consedere, ipsoque Primate ter, ut moris est, proclamante, omnes ferme Visniovicium Regem esse jussere. Fortunatissimus is habebatur, quod privatus, pauper & inops (omnia enim bona illius Tartari occupaverant) nec prudentia ingenioque clarus ad Regnum evectus esset. Dignus tamen hoc honore videri poterat & quadam vitae modestia, & praesertim majorum gloria. Nam orium-

dus erat a Koributo Jagellonis fratre. Scriptis amantissimis litteris Clemens hunc adhortatus est ad defendendam Catholicam Religionem, proposuitque illi tanquam clarissima exempla ad imitandum tum Uladislaum Jagellonem, tum ejus filium ceterosque Jagellonae familiae heroas, quorum eminuit pietas & ardor animi singularis in omni re, quae ad Christianam Rempublicam spectaret. Flens quoque ei exposuit infelicem rerum Cretensium statum; fortunam in extremo sitam, hostem infestum, novi auxilii spem nullam, penuria rerum necessariarum bellum trahi non posse, seque luctu confectum contabescere, cum videret mala, quae ab hoste potentissimo & immanissimo universa timere debebat Europa. Sed is, quem inflammare studebat Clemens in communem hostem, erat quietus, placido ingenio; immo imbellis, & metuens magis quam metuendus. Inter haec Romam rediit Christina Svecorum Regina. Nullum studii genus, quod ad ejus adventum honestandum excogitari poterat, ipsa desideravit. Laetatus vero vehementer est Clemens, quod haberet occasionem declarandae voluntatis suae erga
Regi-

Reginam & fama illustrem & malis afflictam ob exacerbatam superbiam atque avaritiam suorum Svecorum. Mortuo Carolo Gustavo, illa rediit in Sveciam, sperans fortasse regnum, cui renunciaverat, se recuperaturam; tanta est humanae voluntatis inconstantia atque mobilitas. Praeteritorum recordatio illi erat acerba, & extrema verba magni Cancellarii Oxenstierni viri prudentissimi magnique consilii quasi morsu quodam animum illius exedebant. Moriens enim non potuit quin exclamaret: *Spectaculum genere & exemplo miserum sibi videri Reginam spoliatam Regno, extorrem patria & rebus omnibus egentem, cui saepe & non obscure praedixerat fore, ut consilii sui ipsam poeniteret.* Ubi nullam spem esse vidit recuperandi regni, curavit ut saltem sibi debita ex pactione pecunia solveretur, quae ad sumptus effusos, nedum liberales, quo suo ingenio satisfaceret, instrumento esset. Solutione impedita, subortisque inter se & Alexandrum Pontificem querimoniis, iter secundo in Sveciam direxit. Non longius tamen Hamburgo processit, quod a suis injurias timeret; ibique commorata est, dum a procuratoribus pensionem exigeret. Ob-

durefcebant quotidie magis vel ii ipſi, quos ſtudioſos ſui in Svecia reliquerat, hique haud dubie ejus adventum improbabant. Itaque, ſpe undique abſciſſa, unum eſſe conſilium putavit, Romam ut rediret, ibique in ſinu & complexu philoſophiae, nobiliſſimarumque artium vitam traduceret. Nec dubito quin ad hujuſmodi ſuſcipiendum conſilium maxime ſtimulaverit illam & mors Alexandri, & delata Clementi Pontificatus dignitas. Solita enim erat dicere neminem ſe noſſe, quem virtute Condaeo, ingenii vi Cardinali Gondio, indulgentia in ſe Cardinali Azzolinio, & bonitate naturae Roſpilioſio anteponeret. Et ſane quae ab hoc beneficia, voluntatiſque ſignificationes non habuit? Mirifice quoque ei blandita eſt tota Roſpilioſiorum domus; & conſentiens omnium ordinum voluntas ad illam honorandam efficiebat, ut tolerabilius igniculum deſiderii res amiſſas recuperandi ferret. His adde quod, regnante Clemente, populus Romanus omnibus laetitiis laetus eſſe videbatur; cumque convivia paſſim ſplendide ab optimatibus ornarentur, nec deeſſet ludorum elegantia, & ſcenae magnificentia, reddita Romae aurea

tempora Regina dicebat, nec usquam fore laetiora atque pacatiora (36). Horum felicitatem augebant bonitas & moderatio Pontificis, omniumque qui cum illo conjuncti propinquitatis vinculis erant, & obsequium populi in hos ipsos, & aemulandi amor, validior quam poena ex legibus, & metus. Sed inest rebus cunctis quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum ita morum vices pro diverso Principum ingenio vertantur; & sane plurima posteritati Rospiliosius reliquit exempla, quae dum palam praedicaret Christina, id non sine reprehensione consequentium temporum esse videbatur. Mansit Romae ad vitae usque terminum; in quo non minus quam in abdicatione regni, femina ceteroqui inconstans & levis, singularem animi magnitudinem, humanarumque rerum contemptum ostendit. Collata Reginae beneficia plurimum addiderunt gloriae Pontifici, cui nihil tam curae fuit, quam ne quis expers liberalitatis suae fieret. Intercedere casibus, occurrere fortunae, egentes non modo excipere atque amplecti, verum etiam conquirere atque adsciscere, vel disjunctissimas terras munificentiae ingenio,

ut ita dicam, admovere, hoc Principe dignum, hoc proprium Clementis fuit, qui in omnium laude ſolus beneficiorum ſuorum parciſſimus aeſtimator eſſe videbatur. Fuerat per illa tempora ingens terrae motus in Illyrico, ex quo Epidaurus praeſertim (Raguſium nunc dicunt) urbs maritima & libera, tectis ac templis frequens, exornata vario genere operum, momento ferme ſic corruit, ut quodcumque ſupereſſet illius incolarumque, velut ſaevum ſpectaculum a fortuna relictum ad commovendam magis hominum miſerationem eſſe videretur. Paſſim quoque lateque, ut evenit in hujuſmodi caſibus, vagatus eſt ignis, & ex paucis, qui evaſere inter ſonitus flammae, & fragorem ruentium tectorum, nonnulli Romam venerunt rogatum auxilium a Clemente, ut pene deletae patriae ſuccurreret. Impetratum eſt quod poſtulabatur, oblatum etiam quod non poſtulabatur, tamque prompta ac larga fuit bonitas ac liberalitas Pontificis, ut aerumnas perpeſſis id unum ſufficere aut ad remedium aut ad ſolamen videretur, ut illas noſceret Clemens. Intentus hic demerendis ſibi iis, qui opis ſuae indiguiſſent, facile ſe rogari

passus est a Joanne Austrio, qui filius erat Philippi IV. Hispaniarum Regis, sed non justo matrimonio natus, ut defensionem susciperet dignitatis suae contra iniquorum perfidiam. Praeclarum illi ingenium natura dederat, nec animi modo, sed & corporis bona, quae educatio & disciplina plurimum perfecerant. Recti tenax, fortis & constans in periculis, prudens ac providus, unus fortasse potuisset temporibus, salutique Hispaniarum Regni consulere, si semper illius consilia valuissent, neque dolus, aut fraus & etiam calumnia adhibita ad eum a negotiis publicis removendum. Nam clavum imperii tenente infirmi animi Regina omnia ad unius Jesuitae (huic nomen Joannes Everardus Nitardus) arbitrium collata erant; qui cum nihil tam vereretur quam oculos & voces Joannis, hunc perdere, quam ipse periclitari maluit. Igitur cuncta exploranti opportunissimum visum illum in Belgium mittere caussa bellorum, quae illam florentissimam Provinciam affligebant. Id speciem habebat honesti, neque recusaturus putabatur Joannes, qui plus aequo appetens famae esse videbatur; mediocre quidem vitium, quando etiam

ſapientibus cupido gloriae noviſſima exuitur: Sed cum ille noviſſet mentem Nitardi, excuſans morbum ire recuſavit. Doluit vero eo perveniſſe improbitatem hominis non ſolum ut ipſe ſuſpectus & inviſus Reginae eſſet, ſed etiam ut vita injuſte privaretur Joſephus Maladas, quem conſiliorum ſuorum participem faciebat. Motus itaque atrocitate rei optavit, ut omnes aequi & iniqui intelligerent inimiciſſimum ſe eſſe homini, apud quem ſui ſuorumque utilitas vim aequi habebat, & in quo neſcires utrum inhumanitas ac ſuperbia, an Reipublicae tractandae imperitia major eſſet. De illo etiam extra regni fines (ſaeviora enim conſilia animus humanus horrebat) furtim deportando cogitavit, quod cum minime ſucceſſiſſet, ipſe coactus eſt vim inimici ſubterfugere, & procellam temporum, aulam relinquens, devitare. Subſedit in Aragonia maximis plauſibus magnaque approbatione populorum; ex quo cauſſam cepit Nitardus eumdem criminandi rebelli animo affectare viam ad imperium. Contra haec Joannes non modo ire obviam injuriae, & dicta dictis ulciſci, ſed propalam praeferocis animi licentiam inſectari,

omnibusque ostendere quot detrimenta ab uno homine publicis rebus importarentur. Alienato populo, nobilitate inimica, magistratibus fere omnibus aversantibus nimiam Jesuitae potentiam, & aequo libentique animo horum caussam agente Borromaeo Legato Pontificio, eo tandem perventum est, ut Regina Nitardum Regno abire imperaverit. Discedentem non sine magno dolore dimisit, illumque omnia a se & postulare & expectare jussit. Ipse Romam venit sperans, sedatis adversariorum animis, se brevi rediturum ad Hispanos & ad sua munia (erat enim Reginae a confessionibus, a consiliis, & in toto regno Fidei Quaesitor) & novis etiam auctum iri honoribus. Summis enim precibus contendebat Regina a Pontifice ut is Cardinalis crearetur. Offensa contumeliis dignitas stimulabat animum superbia elatum. Nescires utrum ipsum inter Patres, an inter candidatos numerares; ostentare honorem aetatis, jactare regiam gratiam, & dignitatem, multa ac magnifica polliceri, magno comitatu in publicum prodire, donec Collegae quoque conjecere in eum oculos, mirantes quid

ſibi vellet. Graviſſimis verbis reprehendit Clemens intolerandam hominis arrogantiam, quanquam nonnulli, ut molliret ferocem animum manſuetudine & obſecundando, ſuaderent. Irritari enim Reginam non oportere dicebant iis temporibus, quibus omnia metuenda erant. At Clemens qui in omni actione nil niſi rectum & honeſtum ſpectabat, non ſolum dibaphum Nitardo negavit, ſed & ipſum muneri Quaeſitoris Fidei renuntiare coegit. Quae ut laeta acciderunt Joanni Auſtrio, qui his de rebus plures ad Pontificem litteras miſerat, ita dolenter accepta ſunt a Regina, ut moerore in febrim inciderit. Huic tamen non licuit queri de neglecto Nitardo, cum Clemens in Cardinalium collegium cooptaſſet Ludovicum Emmanuelem Portocarrerium, quem cum Antonio Benavideſio de Conſilii ſententia ipſa nominaverat Regina. Sed haec palam & ficte; ſecreto vero egerat cum Pontifice ut Nitardus omnibus praeferretur. Lata ab hoc repulſa reddidiſſet hominem ferociorem impotentioremque, ni Pontificis imperium jactataeque minae coercuiſſent. Satisfactum poſtea hujus ambitioni, regnante Clemente X.

quae res culpae danda in primis eſt illi, quem Pontifex ſocium & adminiſtrum omnium conſiliorum aſſumpſiſſe videbatur; qui tametſi a principio minime faveret Nitardo, animus tamen aeger avaritia facile converſus eſt. Ceterum Clemens nihil earum rerum omiſit, quibus probaret Hiſpaniarum Reginae ſe ei & fuiſſe ſemper & futurum eſſe benevolentiſſimum atque amiciſſimum, nihil magis cupere, quam ſecum habere conjunctos Catholicos Principes mente, conſilio ac ſtudio in tuenda Chriſtiana Republica; nullamque tam deteſtabilem peſtem eſſe quam homines, qui fictis ſermonibus & iniquis delationibus hanc conſenſionem & benevolentiam mutuam labefactare & convellere conarentur. Eodem tempore, quo haec acciderunt, inſtabat atque urgebat ſummo cum ſtudio Galliarum Rex, ut Dux Bullionenſis, de quo ſupra mentionem fecimus, Cardinalis crearetur. Sed juſtiores erant cauſſae poſtulationis quam quas attulerat Hiſpaniarum Regina Nitardum commendans. His enim verbis ad Pontificem Ludovicus ſcripſit: *Si compertum haberem reperiri poſſe aliquem in Regni mei finibus inter eos qui*

ſe Eccleſiaſticae vitae devoverunt, qui cum pari natalium ſplendore majus prae ſe tuliſſet Religionis ſtudium, quique Eccleſiae rationibus magis eſſet idoneus, quam conſanguineus meus Alibretanus Dux, illum ego potius quam hunc nominarem, qui in Purpuratorum Patrum collegium cooptaretur. Tanti Regis deſiderio libenter ſatisfecit Clemens, tulitque beneficii praemium. Nam cum in conventu, qui Piſis habitus eſt ad reconciliandum Alexandrum Pontificem ipſi Ludovico, inter cetera pactum fuiſſet, ut Duci Parmenſi redderetur Caſtri Ducatus (37); cumque ſaepius poſtulatum eſſet a Clemente, ut maneret in conditione, non renovatum iri hujuſmodi poſtulationem Rex Pontifici promiſit atque recepit. Obtinuit etiam Clemens, ut abrogaretur lex, qua cautum fuerat, ne quis ante XXV. aetatis annum ſe ſe religioſae cuipiam familiae ſacramento obligaret. Nec minus feliciter Clementi evenit ob delatum Portocarrerio Cardinalatus honorem, ut tollerentur decreta quaedam Eccleſiae libertati contraria, quae fecerant ii, qui Hiſpaniarum Regis nomine Neapolitanum Regnum & Mediolanenſem Ducatum procurabant. Quibus rebus fie-

bat, ut vere gloriari poſſet Clemens in conferendis honoribus & beneficiis ſe non ſolum utilitatem eorum, qui merebantur, ſed & publicum bonum ſpectaſſe ſemper. Id praeſertim ſe obtinuiſſe dicebat, cum in Cardinalium collegium cooptaſſet Leopoldum Mediceum, de quo nobis hic repetere licebit, quod alibi de ipſo praedicavimus. Id enim verum ſincerumque eſt, & ingenio hominis declarando aptiſſimum. Facile fatentur omnes Mediceorum genus ex ipſius Sapientiae ſtirpe generatum eſſe videri; adeo multi eorum doctrinas nobiliſſimaſque artes ſingulari ſtudio ac liberalitate foverunt. Sed inter eos meo judicio, veluti majora lumina, elucent Laurentius, cui Magnifici cognomen factum, hujus filius Leo X. & qui hos longo poſt intervallo ſecutus eſt Leopoldus. Hic ab adoleſcentia mathematicas diſciplinas plurimum excoluit, ſed praeſertim animum applicuit ad cognoſcendam naturam, qua in contemplatione, confectis rebus neceſſariis, vacuus negotiis honeſte ac liberaliter vivebat; efficiebatque induſtria, exemplo, inſtitutiſque ſuis, ut multa obſcura, prorſuſque ignota illuſtrarentur atque pateſierent. Quam

ſingularia vero ac prorſus mirabilia ſunt ea, quae geſſit ad illarum artium incrementum, quae naturam adjuvant, ornant, atque ad vivum exprimunt! Ex inſito menti cognitionis amore explicandi differendique cupiditas conſequebàtur, eaſque facultates, quae ad id pertinerent, in ſe ſtudioſe coluit, & in aliis muniſice fovit. Mens, quam a natura habuit, acris, vigens, celerrimeque multa ſimul agitans, &, ut ita dicam, ſagax efficiebat, ut non ſolum in excolendis diſciplinis, ſed etiam in omni vitae actione gubernanda, in conſiliis dandis, rebuſque publicis adminiſtrandis (a fratre enim Magno Etruriae Duce plurimum adhibebatur) cauſſas & conſecutiones rerum videret, ſimilitudines transferret, disjuncta conjungeret, & cum praeſentibus futura copularet ſic, ut divinum virum, nedum prudentem non immerito dixiſſes. Iſthaec ingenita veri inveniendi cupiditas maxime in animi dotibus apparebat. Diligebat enim juſta, fidelia, ſimplicia, conſtantia, gravia, id eſt vera omnia, habebatque in ſe expletam & perfectam honeſtatis, decoris, humanitatiſque formam. Quanquam omnia, quae ageret

ad ſocietatem communitatemque generis humani referebat, non tamen hominum teſtimonia quaerebat, & eſſe magis, quam dici bonus ſapienſque vir optabat. Nihilo tamen minus omnes in illo conſenſerunt elogio, hunc aetatis ſuae primarium fuiſſe virum. Sed ad Clementem revertor, cui quidem nihil tam cordi erat, quam ut ſingularibus amoris declarationibus ſibi ſuiſque Mediceos Principes obſtringeret; idque eo vehementius optabat, quod Deceſſor illius neglexiſſe eos videbatur. Itaque vix Pontificatum Maximum conſecutus eſt, cum ſignificavit Magno Duci Ferdinando ſe illius fratrum uni Cardinalatus inſignia deſtinaſſe. Haec concupiſcere tum Matthias, tum Leopoldus viſi ſunt, quod ut audivit Clemens; *cur mihi* (ait) *in optatis non ſit complecti Principes florentes aetate, ingenio, virtutibus, & Romanae Eccleſiae addicere? Utinam ſaeculo virtutum ſterili plures hujuſmodi eſſent, quibus non donantur, ſed debentur praemia meritorum, & qui vel ſolo nomine ampliſſimas decorant dignitates*. Sed valetudinis incommoda, quibus affici coepit Matthias, effecerunt, ut ipſe omnem de Cardinalatu cogitationem abjecerit; qua

dignitate auctus Leopoldus id unum studuit, ut omnia officia Pontifici & Ecclesiae diligenter sancteque praestaret. Sunt nonnulli, a quibus & nos quoque aliquando in errorem rapti fuimus, qui (impudenter sane) affirmant Clementem ea conditione purpuram concessisse Leopoldo, ut physicis studiis & Florentinae Academiae, quae illa unice excolebat (dixerunt eam *del Cimento*) nuntium remitteret. Quod quidem a veritate longe abest, ut ex certissimis constat monumentis (38); nec probabili aliqua conjectura ac ratione dici de eo potest, qui a Benedicto Castellio philosophia eruditus fuit; qui Galilaeo in illis suis Urbanis calamitatibus, quantum potuit, favit; qui Pontifex dictus Jo. Dominicum Cassinium ad praeclara suscipienda excitavit, & qui eo caruit aegre, cum ipsum concedere Ludovico Galliarum Regi coactus fuit. Adde quod & sua sponte, & consiliis Michaelis Angeli Riccii multa gerere meditabatur, quae ad provehendas magnarum artium ac praesertim philosophiae disciplinas plurimum, nisi mors obstitisset, conducere potuissent. Omnino amabat Clemens praeclara studia, nec ut alii eximia.

ac vivida ingenia deprimebat, sed fovebat attollebatque: his honores, his sacerdotia offerebat: haec gratia amicitia & judicio alliciebat; propositisque praemiis integritatis & industriae, dulcedine sua carebat ignavia, & praestans quisque ingenio ad relinquenda posteris illustria virtutum exempla ducebatur. Eminuit etiam inter eos, quos Purpuratis adlegit Joannes Bona vir summa integritate & innocentia, in quo veteris sanctitatis illustre habemus exemplum. Accedebat eo rerum sacrarum doctrina, quam, editis duobus rerum Liturgicarum libris, plurimum illustravit. Nam qui antea hanc rem tractavere, ut Jacobus Pamelius, quamvis multa utilia collegerint, non satis tamen perspexisse videntur quid in quaque re verum sincerumque sit; quapropter plura, quae erant incognita, ad Graecos, Syros, Egyptios, aliosque Orientales populos pertinentia pro cognitis habuerunt. Primus omnium Bona rebus obscuris lucem attulit, ediditque opus omnibus fere numeris absolutum. Tanti viri opera & consilio Clemens multis magnisque in rebus usus est. Atque in eo praesertim judicio, quod de Mon-

tensi, ut vocant, novi Testamenti interpretatione tulit (39), itemque de Rituali, quod in usum suae Dioecesis vulgaverat Pavillonus Alectae Episcopus. Plures adlaboraverant in illa conficienda interpretatione, sed praesertim Antonius Magister, Arnaldius, Sacius atque Nicolius. Atque illi quidem in prima operis fronte pollicentur se a vulgata, ut vocant, editione non discessuros, sed cum interdum ad Graeca exemplaria lectores revocent, & multa convertant non ut interpretes, sed ut παραφράσται, haud sane mediocris existit varietas, & quod gravius est, dextere adeo sententiae quaedam ad illorum caussam accommodantur, ut haec sine Christianae Reipublicae perturbatione esse non possint. Norunt porro omnes id potissimum interesse Romanae Ecclesiae unum omnium esse de sacris libris consensum, manereque auctoritatem illius interpretationis, quam ipsa recepit: hanc regulam, hanc normam in judicando de vero ac falso, hanc praescriptionem divinae voluntatis agnoscendam; nec cuiquam ab illa temere discedere fas esse debere. Proferre equidem possem multa loca ab interpretibus Gallis minus fideliter, vel saltem

nimio

nimio arbitrio libertateque conversa, nisi ad alia properaret oratio, & actum agere viderer (40). Quae cum ita sint nonne id curandum Clementi fuit, ut materies subtraheretur novis disputationibus, & damnaretur liber, qui minus congruere videbatur principiis, quae semper secuta est Romana Ecclesia? Ac sibi persuaserat fore ut se dociles praeberent Galli ad suam sententiam, sed ipsi deprecandae invidiae caussa plura scriptis mandarunt, quibus probare se posse putarunt, nil nisi fide optima, singularique prudentia ac judicio actum in ea re fuisse. Majorem etiam severitatem adhibuit Clemens in damnando Rituali Episcopi Alectae, in quo quidem humanitatem ac prudentiam sapientissimi Pontificis licet requirere. Ea interdum est in judiciis nostris infirmitas, ut non sine caussa Clemens, utpote modestissimus, sibi diffideret in praesentibus malis depellendis. Itaque consilia prudentiorum exquirebat, multisque in consilium adhibitis, facile erat Jesuitis commoliri dolos & machinas ad contorquendos Judices in suorum sententias. Quod fuerit in hac re Bonae judicium me latet. Conjici quidem

potest ex ipsa hominis doctrina ac natura illud fuisse prudentissimum ac moderationis plenum. Nihilo tamen minus persuasum Pontifici plena errorum esse omnia, & ex summa indignitate libri labem aspersam Episcopi dignitati. Itaque non solum damnatus est liber, sed & ignominiose combustus; malum iis denunciatum, qui eumdem apud se retinuissent, nihilque omissum, quod ad illum omni dedecore infamandum valeret (41). Haec perculerunt Episcopum non tam sua, quam Pontificis, quem venerabatur, caussa. Et ignominiam fortasse sine querela vir, qui magnam apud suos praesertim sanctitatis opinionem habebat, tulisset, nisi dignitati debere defensionem suam existimasset; in qua conscribenda si quid persecutus est acrius contra Jesuitarum machinas, id invitum & coactum se fecisse dixit. Non bene quidem novisse videntur, qui Jansenistarum partium erant, libertatem non in pertinacia, sed in quadam moderatione positam esse; & quidem sapientum judicio quaedam sunt in illo Rituali censoria animadversione digna, in quibus corrigendis, si Scriptor cessisset Pontificis auctoritati, immortalem gloriam consecutus esset. Fa-

ma tamen eſt ipſum, priuſquam moreretur, illa poenitendo retractaſſe, quae res delata ad Innocentium XI. Pontificem, itemque conſilia Michaelis Angeli Riccii (42), aliaeque cauſſae ab eodem facile obtinuerunt, ut ſeveritatem acerbam decreti, quod Clemens fecerat, multis condimentis mitigaverit. Ceterum ſeveritas Clementis habere poteſt aliquid excuſationis a ſummo ſtudio, quo ipſe tenebatur, ut in iis rebus, quae ad religionem pertinent, omnia fierent rite, more, inſtitutoque majorum. A quo ſtudio ſane multa dimanarunt tum Eccleſiaſticae diſciplinae tuendae utilia, tum ipſi Pontifici glorioſa. Circumſpiciebat omnia membra Chriſtianae Reipublicae, &, ubi malum eſſe arbitrabatur, accedebat ad medicinam, non minus illam probans, quae ſanaret vitioſas partes, quam quae exſecaret. Hinc, ut ſupra commemoravimus, de medio ſublatae tres religioſorum hominum Sodalitates, reductae aliae ad officium ſanitatemque, & quae vigebant ſaluberrimis confirmatae inſtitutionibus. Ea propter prudentiſſimis tum Cardinalium, tum Praeſulum Clemens curam commiſit, ut de omnibus rebus, quae

ad religiosas familias spectarent, cognoscerent, judiciumque ferrent. Huic coetui (Congregationem dicunt) Secretarium dedit Prosperum Fagnanium, cujus pervulgatum erat nomen non tam doctrina, quam potestate, cum omnia, Pontificibus Innocentio X. & Alexandro VII. in hujusmodi negotiis tractandis collata fuissent ad arbitrium illius. Sed Clemente Pontifice, nihil erat in potestate ejusdem; nil nisi pro aequo & bono factum; & facile erat Principi continere eos, quibus imperabat, cum se ipse, suosque contineret ordine, constantia & moderatione dictorum omnium atque factorum. Ex multis vero quae aut jussit aut vetuit ratio sapientissimi Pontificis ducta a summa lege, quam Deus ipse humano generi dedit, haec in primis commemoranda videntur. Non solum introitu, sed omnino aditu in sanctimonialium claustra, nisi facultas esset ab Episcopis, prohibuit religiosos viros: hos, ut & Ecclesiasticos omnes, eosque praesertim, qui religionis caussa in Indiis Orientalibus & in America degebant, mercaturam facere vetuit (43); coercuitque omnes eos, qui ad pecuniae quaestum nimium incumbebant. Ea

propter Jesuitas reddere haereditatem coegit, quam habuerant ab eo, cujus erant cognati superstites. Tecta esse voluit, quae obtinent jura Episcopi, privilegiis quibusdam abrogatis. Haec, ut omnium rerum principia, ab initio parva; sed homines libertatis amantes non continentur, progrediuntur longius, efferuntur; & nisi modum, severitatemque interdum etiam adhibeas, omnia permisceri necesse est. Et sane quid aequius, quid convenientius Christianae Reipublicae, quam sacra omnia, omnesque, qui Ecclesiae fidem suam praestiterunt, sub unam eamdemque tutelam potestatemque Episcoporum subjectos esse? Mirum quibusdam videri poterit Clementem, qui religiosarum Sodalitatum imminuendum numerum aliquando putavit, sublatam annos ante X. Ecclesiae reddidisse. Sed uberes praestantissimique fructus, quos ex ea Respublica cepit, hodieque suscipit, satis ostendunt sapientiam consiliorum illius. Fuerat vir sanctissimis moribus Joseph Calasanctius, qui miserans sortem inopum puerorum, quibus omnis educatio & disciplina deerat, de iis doctrina aliqua & cathechesi excolendis curam suscepit. Deo bene

juvante, eo res processit, ut multi ejus exemplum sint secuti, & ad illius ductum, arbitriumque sese omnino contulerint. Tum de constituenda familia deliberatum. Annuit eorum votis Paullus V. ac plenius postmodum Gregorius XV. At dum prosperum cursum teneret Societas Clericorum Pauperum Matris Dei (sic enim appellatur) hique expeterentur variis Italiae locis, gravissimae coortae sunt tempestates, quibus, ita imperante Innocentio X. illa ipsa esse desiit. Non fuit illud judicium, sed vis potius & potentia invidorum, maximeque Jesuitarum. Non propterea tamen prohibiti sunt homines utilissimo opere; servabaturque inter eos, beneficio maxime Alexandri VII. conjunctio & communitas quaedam. Hi vero ad dignitatis pristinae spem reviviscere visi sunt, cum creatus esset Pontifex Rospiliosius, qui statim indicia dedit tum amoris sui in illos, tum aequitatis, cum jussisset, ut de ascribendo in Beatorum numero Calasanctio, cum quo ipse amicitiam habuerat, ageretur. Post id de restituenda Societate cogitavit, deprecatoribus maxime Cardinali Leopoldo Mediceo & ipso Magno Etruriae Duce,

qui erga illos homines omni tempore optime fuerant animati. Verumtamen ut ne minus consulte quidpiam ſtatuiſſe videretur, totum negotium delegavit tribus viris, qui inter Romanos Praeſules opinione prudentiae eminebant, & apud quos minimum loci fore putavit gratiae. Hi quidem judicarunt reſtituendos eſſe Calaſanctii alumnos in priſtinam dignitatem, quod judicium cum confirmaſſent poſtea Cardinales negotiis *Epiſcoporum* & *Regularium* praepoſiti, Clemens Societatem ipſam & leges quaſdam ad eam pertinentes approbavit, quod teſtatum voluit diplomate dato X. Kal. Nov. MDCLXIX. Id quidem eo libentius fecit Clemens, quod ſperabat per homines litteris maxime deditos non ſolum inſtitutioni puerili, ſed & rectis omnibus ſtudiis conſultum iri. Tantum enim enitebatur, ut his non deeſſet, quantum decebat Principem optimis praeceptis imbutum, &, quod caput eſt, naturae bonitate praeſtantem. Adde quod perſuaſum erat Clementi ad Romanos Pontifices litterarum patrocinium, quaſi haereditario jure, potiſſimum pertinere, iiſque aditum patere debere in Urbem, tanquam in

proprium domicilium. Quis enim ignorat omni tempore, & ex omnibus terrarum partibus viros Hebraicarum, Graecarum, Latinarum litterarum ſcientia claros, Philoſophos, Jurisconſultos, Poetas, Rhetores praemiis ampliſſimis excitatos in Urbem conveniſſe? Qua tempeſtate omnium bonarum artium ignoratio obſeſſam Europam tenebat, & denſiſſimis tenebris omnia non ſolum circumfuſa, ſed pene ſepulta erant, nonne apud Romanos Pontifices viguit ſemper aliquis ingeniorum cultus? Cum vero, dominante militari & feudali jure, regebantur homines ad potentiorum libidinem, nullo ſtabili conſilio ac judicio, nonne effectum per Romanos Pontifices, ut eſſent certae leges ac certi Judices, judiciorumque formulae, & per ea manerent jus, aequitas, ſecuritas, bonorum proprietas, ſanctiſſima ſocietatis vincula (44)? Quis recordari poteſt aut deletam barbariem ex moribus & diſciplina Italorum, aut revocatas ab interitu litteras, aut languentes excitatas, quin praeconia deferat Romanorum Pontificum ſapientiae? Haec ſpectans Clemens omni mente & cogitatione, curaque verſabatur, ut regnum ſuum optimis

legibus inſtitutiſque, concordia, opibus, virtute, & omni praeclara arte atque doctrina floreret. Mandata dedit Bonae & Riccio, ut institueretur Academia, quae ad excolenda hiſtoriae Eccleſiaſticae ſtudia praeſertim incumberet. Excitavit alios doctos homines ad ſacras litteras plurimarum diſciplinarum inſtrumento illuſtrandas, qua de cauſſa providit ut Orientalium linguarum ſtudia vigerent. Leonis Allatii laudi favit quam qui maxime, & in illius morte lacrimas continere minime potuit. Provexit labores Athanaſii Kirkerii, dolebatque hominem ingenio ſummum ſaepe diſtrahi in inanes inveſtigationes. Animos addidit Joanni Ciampinio ad ſtadium gloriae ingredienti. Amplis praemiis commovit Franciſcum Leveram ad edendum librum *de invicta veritate anni, menſis, & diei Paſſionis & Reſurrectionis Chriſti Domini, ejuſque Nativitatis;* pluresque doctiſſimos viros conſuluit quid ſibi faciendum eſſe cenſerent, cum a ſe poſtularetur correctio quaedam & emendatio Gregoriani Kalendarii. Dum cogitaret quonam modo Philoſophorum ſtudia ad utilitates hominum convertere ac traducere poſſet, vehementer laetatus

est factum industria Jo. Dominici Cassinii, ut essent tabulae Satellitum Jovis, quae ad augendam geographiam, & rerum nauticarum scientiam plurimum conducerent. Ei quoque praemia ob opus magnum difficillimumque largiter tribuit, praeter illa honoris & laudis, quibus nullo non tempore hominem doctrina summum singulariter affecit. Jo. Baptistam Ricciolium non modo iniquissima invidia liberavit, sed honorifica etiam gratulatione addidit ei scribendi de rebus astronomicis alacritatem. Nec defuit humanioribus litteris, plures invitans ad emendanda temporum vitia, seseque interdum oblectans sermone ac consuetudine virorum, qui in iis excellere putabantur. Hanc enim animi remissionem humanissimam semper ac liberalissimam judicavit. Quod si perpaucis Principibus contigit, ut haec studia attingere, & sensu suo gustare, sicuti Clemens, possint, tamen ea mirari deberent etiam cum in aliis vident, & omni arte fovere, cum iis, quasi singulare quoddam Dei munus ac donum, commendata in primis esse videantur. Quoniam vero omnes liberales artes habent quoddam commune vinculum & quasi cognatione quadam

inter se continentur, nemini mirum videri debet Clementem studium quoque adhibuisse ad picturam, architecturam, & sculpturam provehendas, & magnis honoribus illos decorasse, qui harum artium essent peritissimi. Quantum commotus est Petri Berettinii morte, cujus in aedes saepe suorum aliquem misit, qui aegrum suo nomine inviseret, ac oblatis beneficiis solaretur! Omnino propter excellentem artem & venustatem, facilitatemque admirabilem repraesentandi quidquid animus delicatus & tener, libereque volitans per naturae fines universos concipiebat, videbatur mori non debuisse. Favit ingenio Salvatoris Rosae; quamvis non illum in picturis horrida, inculta, abdita & opaca, contra vero nitida, laeta, collustrata delectarent. Receperat in amicitiam privatus Nicolaum Pussinium, & eum de mortuo Pontifex factus loqueretur; *utinam*, ajebat, *solvere nobis praemia, quae singulari hominis virtuti debebantur, licuisset*. Borrominium amplexus est, eumque in casu, quo afflictus jacuit (nam vitio morbi furens sibi gladio mortiferum vulnus inflixit) conservare voluisset. Sed praesertim amavit foe-

cunditatem, quae se efferebat in Berninio, neque eam nimis luxuriantem (quod vitio dabatur Borrominio, qui plerumque a forma veritatis & ab antiquorum regula absfuit) sed arte ac judicio summo contentam. Hunc adhibuit in absolvendo peristylio Vaticano, quod opus omnium, quae aggressus fuerat Alexander VII. magnificentissimum, aeternum erit ingenii, quo tantopere praestabat Berninius, monumentum. Eodem usus est Clemens architecto & sculptore, cum exornandum suscepisset Aelium pontem. Cum ipso quoque egit de augenda Liberiana Basilica, quam in rem centum millia pondo argenti collecta ex suis redditibus seposuerat. Optasset Clemens alia monumenta regni sui nominisque relinquere, idque non tam animi magnificentia, quam excitandae industriae caussa. Et quidem omnia, quae Reipublicae pollicebatur, exitu praestitisset, si longius ei ad vivendum datum esset tempus, & nisi omnis illa Cretensis belli fortuna in eumdem potissimum incubuisset. Erant quoque praeclari studii in nobilissimas artes, & intelligentis judicii indices voces, quibus Clemens quotidie fere invitabat artifi-

ces ad monumenta antiquitatis imitanda, quae ipſe non ſolum admirari, ſed pene venerari videbatur. Quapropter vehementer improbavit quae fieri juſſerat Alexander VII. ad ornatum Panthei, praecepitque magnificentiſſimum illud templum integrum ſervari a petulantia illorum, qui omnia volunt calamiſtris inurere. Nihilo tamen minus vidimus ad ſempiternum dedecus noſtrorum temporum interiorem Aedis partem multis onerari ornamentis; & perverſam ſapientiam illorum, qui

Faciunt nae intelligendo ut nihil intelligant,

judicio prudentum anteponi. Similia & pejora quoque acciderunt aliis Imperii Romani gloriae rerumque geſtarum monumentis, idque non odio hoſtili, neque licentia militari, ſed imperantium injuria. Quapropter ſaepe ſit ut ii, qui hoſpites ad ea quae viſenda ſunt, ducere ſolent, & unumquidque oſtendere, nunc converſam habeant demonſtrationem ſuam, & non quid ſit, ſed quid fuerit declarent. Ducant alii levia & contemnenda opera, artificia, ſigna, pictas tabulas & cetera hujusmodi: Clementem quidem illa maxime delectabant; & ex illius querimoniis intelligi po-

terat, quam dolenter aliquando viderit amphitheatrum Flavii Vespasiani, aliaque aedificia, quae tot saecula manserant, tot bella effugerant, aut partim, aut omnino eversa, aut ornamentis spoliata. Isthaec accurata diligentia in conservandis veteribus ornamentis, novisque comparandis adhibebatur a Clemente non solum ad decus & laudem Urbis quondam terrarum dominae, sed etiam ad utilitatem. Fit enim mercatura quaedam bonarum artium, quae secum magna emolumenta apportant, gentes vel disjunctissimas dignitate ac pulchritudine sua trahentes retinentesque. Magno quidem animo prospiciebat Clemens publicae felicitati, declarabatque omnibus cupere se diversas gentes commercio ita conjungere, ut quod genitum esset uspiam, id apud omnes natum esse videretur. Itaque, illo imperante, libere devehebatur quod terra genuerat, artesque perfecerant; fides, vigilantia, paucae, sed opportunae constantesque leges securitatem pariebant; inde copiae, inde annona, inde incitamenta industriae, & cum singulorum mala ad neminem, ad omnes omnium bona pertinere videbantur. Plurimum

in his rebus utebatur Clemens opera Thomae Rospiliosii hominis virtute & prudentia cogniti, & spectata fide amplissimi, quem rebus humanis ereptum prid. Non. Sext. an. MDCLXIX. populus Romanus veluti amantissimum parentem deflevit. Cujus amoris, ut aeternum monumentum extaret, statuam eidem in Capitolio posuit. Aegre id quidem impetratum a Clemente, qui ea erat modestia, ut sibi aut statuam, aut inscriptionem decerni nunquam passus fuerit. Nam quae ipse & sui laudabiliter gerebant, non in mutis lapidibus, sed in animis populorum insculpi malebat. Et quidem omnia personabant laudantium vocibus; & si quis malediceret petulans & plane insanus videbatur. Neque eo contentus fuit, quod Civitates gravissimis tributis liberasset: consuluit praeterea, ut graves tollerentur usurae. Eapropter Judaeorum avaritiam improbitatemque coercuit, & veteri *Monti* pigneratitio (*Pietatis* vocant) qui fuerat a Clemente VIII. institutus novum addidit. Opem ferebat miseris, sed iis praesertim, qui ignaviae minime se dederant. Quotidie apportari sibi volebat per fidelissimos homines panem aliosque cibos,

qui publice venibant, ut de eorum pretio bonitateque judicaret. Et quia in omni re vigilantiam summam adhibebat, plus etiam scire, quam sciebat, putabatur; quod ad continendos in officio magistratus plurimum conducebat. His adde bonis, unam excellentissimam virtutem, justitiam, quam sancte semper coluit Clemens, suum cuique tribuens, & societatem conjunctionis humanae mirifice & aeque tuens. Qua de re, quamvis multa proferre possemus exempla, paucis tamen contenti erimus, ne plura commemorando fatigemus lectores. Cum rescisset pupillum nescio quem iniquo judicio litem perdidisse, ejus detrimentum ex pecunia Judicis farciri jussit. Hominem indignum, qui Alexandro VII. Pontifice ad amplissimum honorem malis artibus obrepserat, de gradu dejecit. Continuit in officio Bononiae Legatum, cujus avaritia multis suspecta & invisa erat. Coegit Jesuitas subire poenam dupli, quod legatam pecuniam denegassent uxori illius, a quo haereditatem obtinuerant. Tum etiam gravissimis verbis reprehendit, qui Societati praeerat, Olivam, quod negligens esset in suorum avaritia frenanda;
cum-

eumque per eos dies licentius petulans Jesuita invectus esset in mores & vitia temporum, vel ipsum non nihil carpens Pontificem (erat enim Concionator, ut vocant, Apostolicus) minime se continere potuit Clemens, quin illi objiceret, indignum sibi videri declinare ab religione officii homines, qui sibi hoc sumpsere ut corrigant mores aliorum, & peccata libere reprehendant. Ceterum contempsit semper Clemens obtrectatorum voces, moderatione magis an sapientia haud facile dixerim: nam quae spreta exolescunt, si irascare agnita videntur. In eo etiam laudanda est sapientissimi Pontificis prudentia & aequitas, quod etsi videret sibi esse haud dissimulanter & inique iratos plerosque Jesuitarum, quos tamen probos ex eadem Sodalitate atque utiles noverat, eosdem non solum dilexerit, sed etiam beneficiis ornaverit. Itaque Ambrosium Spinulam virum nobilitate, pietate ac doctrina insignem, sibi conscientiae arbitrum delegit, & quoad vixit praecipuo in honore habuit. Hoc quoque sit aequitatis Clementis exemplum. Ingredienti nobili feminae in templum binae forte occurrerunt

puellae, in quibus repente risus erupit. Facile mulier derideri sese arbitrata est: erat enim illi picta facies, & futili arte quaesitus decor. Suspicione in iram versa, misit ipsam puellarum domum certum hominem, a quo vapularent. Hac re cognita Clemens quaesivit de bonis feminae; cumque comperisset per illos dies lite ac judicio eamdem recuperasse mille centusses, hos dotis nomine puellis attribui jussit. Ceterum silentio minime praetereundum est Clementem natura lenissimum severitatis personam non appetivisse, sed sibi a Republica impositam aegre sustinuisse, cum contra partes lenitatis & misericordiae egerit semper libentissime. Ac nescio an indulgentia Pontificis in Cardinales Azzolinium & Ottobonium modum excesserit, cum eorum in administranda Republica libido solutior fuisse videretur. Sed id extremis Pontificatus temporibus accidit, quibus tantum licuit iis aegrotationes Pontificis in suorum libertatem & licentiam vertere. Erat Azzolinius avidus potentiae, honoris, divitiarum; ceterum vitia sua, homo natura & usu callidus, dextere occultans: valebat ingenio & elo-

quentia a natura magis quam ab arte profecta; & cum esset navus, perspicax, promptus & experientissimus, neque expers doctrinae politiorisque humanitatis, facile poterat se in omnium gratiam insinuare. Hominis ingenium probe noverat Clemens, qui familiariter cum eo vixerat in Cardinalis Barberinii aula, nec dubitavit, quin illius virtutes regno suo gloriae futurae essent, si cupiditatibus frenum injecisset. Illa ingenii bona prorsus deerant in Ottobonio minuto, angusto, sensus habente tardos, & omnia in dubium revocante; sed utilitatis amor dissimillima natura homines facile conjunxerat. Quandiu viguit animo Pontifex nihil iis permissum; aegrotante autem illo, continere ipsos potuisset Cardinalis Rospiliosius, nisi in eo molle quiddam fuisset, demissum, enervatum & languidum. Sed haec compensabat singulari bonitate integritateque, quae laus quidem ei communis erat cum tota Rospiliosiorum familia. Horum autem virtutes eo magis populus Romanus in caelum ferebat, quo rariora antea habuerat hujusmodi exempla in Pontificum propinquis. Hos enim plerumque viderat cupidos

potentiae, divitiarumque avidos, privataeque utilitati publicum bonum posthabentes. Haec autem non poterat sine horrore Clemens recordari; narrabatque saepe suis ad confirmandos illos in glorioso proposito, quam perniciose de Republica ii meriti fuerint, quod non solum vitia conceperint ipsi, sed ea infuderint in civitatem, plusque exemplo suo, quam peccato nocuerint. Plures extitere, & in his Christina Svecorum Regina, & Magnus Etruriae Dux Ferdinandus, qui saepe a Clemente contenderent, ut suis id saltem concederet, quod satis esset ad vitam in Urbe sustentandam, sicuti familiae dignitas & majorum amplitudo postulabat. Sed ille nunquam non respondit: *consulere se suis, cum illos ad exempla moderationis & pudoris edenda incenderet: abunde pollentes & claros fore, si bonos mores colerent, & secum ipsi de virtute certarent.* Ex quo factum est, ut eosdem pecunia prohibuerit, quae erogabatur ab iis, qui in Clericorum, ut vocant, Camerae collegium cooptabantur, quanquam hoc erat in more positum, ut ea ad propinquos Pontificum cum aliis vectigalibus perveniret. Coegit etiam illos ipsos solvere pro-

pria pecunia aes alienum, quod privatus contraxerat, cum haberet religioni ex bonis Ecclesiae vel tantulum in rem suam convertere. Amor, quo semper in Patriam flagravit, postulare ab eo videbatur, ut in ea publicum aliquod monumentum excitaret. Sed si marmoream magnificamque aram excipias, quam ad Ignatii faciendam curavit, & pauca quaedam munera, quae principi Deiparae templo obtulit, nil fecit memoria dignum, ne proclivis ad aliena donanda videretur. Illi erat in animo Archiepiscopatus honore Pistoriensem Ecclesiam decorare, ac saepe hac de re egit cum Magno Etruriae Duce, sed rem longius protraxit quam brevis vitae termini postulabant. Patriam ipsam commendabat suis; ad quam eos redituros sperabat contentos bonis iis, quae a majoribus acceperant. Quae quidem moderatio, seu potius severitas Pontificis caussa fuit contrahendi matrimonii, ex quo divitias & fortunas amplissimas Rospigliosii habuerunt. Erat Genuae puella primaria Maria Pallavicinia non tam divitiis & genere, quam animi virtutibus spectata & nobilis. De ea collocanda Jo. Baptistae Rospigliosio

Romanae arcis Praefecto (in locum enim Thomae fratris successerat) agere coepere Genuenses Cardinales Raggius & Imperialis. Principio negitare Clemens, illa usurpans verba: *habeant sibi alii invidiosum divitiarum nomen, concedaturque meis, ut in mediocritate fortunae boni viri sint;* postea precibus cessit tum Christinae Svecorum Reginae, tum Cardinalis Barberinii, & assensu suo matrimonium approbavit. Fuere hae nuptiae plenae dignitatis & concordiae. Sed Clementi illas spectare non contigit. Nam, tricesimo postquam regnabat mense, mors ipsum communi luce privavit. Dederat ei natura non bene firmam valetudinem, sed ipsum vitae, quam vivebat, genus plurimum imbellicitatem auxerat virium. Etenim nulla ei requies erat a gravibus imperii occupationibus, & quae animo defatigato concedebat, erant ejusmodi, ut non requietem, sed novam occupationem quaerere videretur. Secedebat quotannis bacchanalibus in S. Sabinae Coenobium, ibique quantum de negotiis publicis detrahebat, tantum addebat pietati. Ut in illa solitudine simplicitas, bonitas & religio summa Clementis elucebat! Nihil in

illo, ex quo religiosi homines Pontificem Maximum secum ipsi habitare sentirent, nisi illustria modestiae & sanctitatis exempla, quae suspicerent atque imitarentur. Defatigabatur etiam saepe infirmum corpus, dum ad praecipua Urbis templa pedibus se conferret, & scalam illam Christi Domini vestigiis consecratam genibus ascenderet; dum nosocomia aegrotis ministraturus obiret; dum confessiones Vaticana in Basilica solemnioribus quibusdam diebus exciperet; & dum ea sibi levamenta interdiceret, quae facile ceteris aetate & morbo impeditis concedebat. Liquit eum animus, cum magnae illi caeremoniae praeesset, qua in Sanctorum fastis adscripsit nomen Petri de Alcantara & Mariae Magdalenae Pactiae. Cum decumberet aeger feria V. Majoris Hebdomadae, haud retineri potuit quin saltem peregrinorum, ut mos est, pedes lavaret. Haec aliaque, & praesertim angores, sollicitudines, nocturni diurnique metus ob captam a Turcis Cretam, & nimium fallaces Medicorum artes illi profecto mortem maturarunt. Multi postremo adfuerunt morbi, renum, vesicae, pituitae, epilepsiae ac demum apoplexis. Octavo die

antequam moreretur Cardinales ad ſe vocavit, eorumque numerum auxit, ſeptem in collegium cooptatis. Hoc facto, Latinam ad eos habuit orationem (erat enim illi prompta & profluens, quae deceret Principem, eloquentia) admonens ipſos, ut eum eligerent Pontificem, qui optimus, qui rei Catholicae ſtudioſe proſpiceret, & ſua peccata corrigeret. Nemo tam durus & ferreus fuit, qui nobiliſſimis Pontificis de Republica, & de humanarum rerum levitate ſenſibus minime commoveretur, & oculis lacrimantibus illum doloribus confectum, & anhelatis verbis loquentem non intueretur. Tum vero cognitum eſt, quam eſſet populo carus. Paſſim enim concurrebatur ad templa, fundebanturque preces ad Deum, ut ſervaret Principem, cujus vita erat charitatis & modeſtiae exemplum, quem ſecuri & hilares omnes in Palatio veluti in communi domo conveniebant, cuique nihil tam cordi erat, quam omnia inviſere, omnia audire, & undecumque invocatum ſtatim velut Numen adeſſe, & opem auxiliumque ferre. Ineunte Decembri meliuſcule illi quidem fuit; ſed brevi omnis illa gratulatio ſpeſque conci-

dit, & populus quasi rursus ereptum acrius doluit. Vitae extremum spiritum edidit V. Id. Decembr. anni MDCLXIX. paullo ante lucem. Corpus suum locari jussit in Liberiana Basilica sine funeris pompa, sine ornamento sepulcri, brevissimamque epigraphen inscribi loculo: CLEMENTIS IX. CINERES. O fortunata mors, quae naturae debita, tamquam extremus actus, ceteras vitae partes cumulatiori laude conclusit! Manet manebitque in animis hominum, in aeternitate temporum quidquid in Clemente admirati sumus; & nos quidem gesta & virtutes illius contemplantes, quasi ille aliquid de suo lumine accenderet, ad illa historiae monumentis consignanda non invitati, sed inflammato studio rapti fuimus. Utinam praeclari facinoris & artis bonae famam obtinuisse me judicent omnes ii, quorum in manus haec venerint: magnum certe laboris fructum me percepisse arbitrabor, si tu, beatissima anima, aliqua excipies gratia officium, quod virtutibus tuis, quod Patriae, quod Familiae, cui magnis amoris & beneficiorum vinculis me obstrictum esse confiteor, persolvendum putavi.

FINIS.

CARDINALES

A CLEMENTE IX. CREATI.

Prid. Id. Dec. MDCLXVII.

JACOBUS ROSPILIOSIUS.

LEOPOLDUS MEDICEUS.

SIGISMUNDUS CHISIUS.

Non. Sext. MDCLXIX.

EMMANUEL THEODOSIUS BULLIONENSIS.

III. *Kal. Dec.* MDCLXIX.

LUDOVIC. EMMANUEL PORTOCARRERIUS.

FRANCISCUS NERLIUS.

AEMILIUS ALTERIUS.

CAROLUS CERRUS.

LAZARUS PALLAVICINUS.

JOANNES BONA.

NICOLAUS ACCIAJOLUS.

BONACURSIUS BONACURSIUS.

ADNOTATIONES

(1) In Tabulario Academiae Pisanae haec ad an. MDCXXII. & MDCXXIII. adnotata leguntur. *Lettori di Straordinaria Scolari. Andrea Arbora Genovese Straordinario Canonico, Gio. Batista Albergotti Aretino Straordinario Civile, Giulio Rospigliosi Pistolese Straordinario Filosofo, e Andrea Checcacci Pisano Straordinario Medico.*

(2) *Canzone, Sonetti e Cantata per le Nozze di Taddeo Barberini e D. Anna Colonna.* Extant in libro qui inscribitur: *Componimenti poetici di varj Autori nelle nozze di ec. Roma nella Stamperia Camerale 1629. in 8. Sonetti ed epigrammi per la Cappella Nolfi di Fano.* Extant in libro cui titulus: *Poesie di eccellentissimi Autori in lode della famosissima Cappella del Sig. Guido Nolfi eretta nel Duomo di Fano: Roma appresso Guglielmo Facciotti 1625. in 8.* Reliquit in scriptis alia plura, quae edere fortasse meditabatur cum iis, quae soluta oratione confecit. Leo Allatius in libro, qui inscribitur *Apes Barberinae* haec commemorat ad Rospiliosium pertinentia. *Discorso sopra il Poema di Francesco Bracciolini inscritto: Dell' elezione di Urbano VIII. impressum cum eodem Bracciolino. Discorso accademico sopra lo scoruccio*; extat in libro cujus inscriptio, *Prose volgari del Muscardi. Orationum latinarum volumen. Discursuum Academicorum volumen. Parallelo fra la politica e la medicina. Drammi musicali con altre poesie.* His adde epistolas quasdam. *Lettere tra le memorabili del Giustiniani. p. 3. p. 293.*

(3) Sic Rospiliosios ipse Italicae Trrgoediae argumentum Latine exposuit. „ Adrastus Philippi Cypri regis filius pa„ rentem Ormulpho Tracum regi hosti infensissimo prodere

„ cogitarat. Ad hoc ſcelus impulit juvenilis quaedam aviditas regnandi, patris mores aſperiores, & Daemonactis perfidi ducis conſilium. Is Philippum capitali odio inſequebatur, quod multis ante annis ſuam minus honeſte conjugem adamaſſet. Itaque injuriae memor Adraſto perſuadet ut foedus cum hoſte ineat, patrem illi dedat, regna mercede proditionis accipiat. Probantur utrinque conditiones. Claſſis a Thrace ad invadendum Cyprum deſtinatur. Legatus cum litteris ad Adraſtum praemittitur. Is interea a patre in regni ſolio collocatus a concepto ſcelere abhorrebat, eratque pacatior ad ſubeundam necem, quam ad ſcelus proſequendum. Quod Daemonax aegre ferens Theodoro regni appetentiſſimo Adraſti crimen aperit, ad quem Adraſti necem ſimulantem legatum cum litteris deducit. A Theodoro Philippus rem totam accipit, conſpectaque hoſtium claſſe, Adraſto venenum propinari jubet, quem patefacto Daemonactis odio una cum Theodoro in oppugnatione arcis extincto miſerabiliter deflet." „ Extat autographum Tragoediae Piſtorii in Fabroniana Bibliotheca.

(4) Horum nomina ſunt: *Il Palazzo incantato*: *L' armi e gli amori*: *La comica del Cielo*: *La vita umana*: *Del male e del bene*: *S. Bonifazio*: *S. Aleſſio*: Vel ab illo tempore quo Piſis Roſpilioſius commorabatur ſtudiorum cauſſa ingenium propenſionemque ad poeſim dramaticam oſtendit. Scriptum quoque invenio actorem bonum fuiſſe; cumque anno MDCXXIV. acta fuiſſet Piſis Lauri Septizonii fabula, quae inſcribitur *Roſelmina*, Julius perſonam Edmundi Principis belle ſane repraeſentavit.

(5) Haec Creſcimbenius in hiſtoria Italicae Poeſis lib. 2. c. 90: *Fu dunque Giulio da Piſtoja generoſo Cavaliere, e Poeta Lirico de' più dolci, culti e leggiadri del tempo ſuo; ed*

ebbe tale avvertenza in maneggiare il florito stile, che nel fervore della lussuria degl' ingegni si mantenne maravigliosamente intatto da ogni strania e sconvenevole intrapresa, come si riconosce da molte sue rime, che si trovano sparse per le Raccolte di questo secolo. Ma nè più nè meno drammaticamente compose, al che sopratutto inclinava il suo genio; e seppe sì bene accomodare al moderno uso de' Teatri ciò che a simile spezie di Poesia è prescritto, che nè prima nè dopo vi è stato alcuno più guardingo, e giudizioso di lui, e di maggior gloria degno e di fama. E se i suoi Drammi che in più volumi originalmente si conservano nell' Ottoboniana, godesser la pubblica luce, la moderna drammatica poesia avrebbe anch' essa qualche fregio, pel quale dovesse con ragione gloriarsi e gareggiare coll' altre speçie.

(6) Promulgata fuit an. MDCLI. hac clausula *sans préjudice des droits, privileges, & coûtumes de Flandres*; Edito edicto ab Joanne Austriaco, qui nomine Regis Belgio imperabat, hanc clausulam approbavit. Archiepiscopus Mechelienfis quaedam alia addidit, quae idonea putavit ad defendenda S. Augustini *de gratia efficaci* dogmata, & Jansenium ipsum. Hinc data Pontifici novarum querelarum caussa.

(7) V. Vol. II. libri qui inscribitur: *Teatro eroico e politico de' Governi de' Vicerè del Regno di Napoli ec. di Domenico Antonio Parrini.*

(8) Hujus rei monumentum extat in Sacrario ejusdem Liberianae Basilicae, in quo haec leguntur:

CLEMENS IX. PONT. MAX.
HANC BASILICAM
OLIM CANONICUS ET VICARIUS
SANCTE COLUIT LIBERALITER ORNAVIT
SUAQUE APUD PHILIPPUM IV.

REGEM CATHOLICUM
NUNCIUS DEXTERITATE ET OFFICIIS
ANNUO TRIUM FERME AUREORUM MILLIUM
PROVENTU DITAVIT
NUNC VOTA PRO OPTIMI PRINCIPIS
INCOLUMITATE RENOVANTEM
BENE SPERARE JUBET
ET INTER PRAECIPUAS
PONTIFICATUS SUI CURAS PATERNE FOVET.

(9) Haec Matriti extat inscriptio in Aedibus Carmelitarum.

D. O. M.
D. HIERONYMO ROSPILIOSIO
PATRICIO PISTORIENSI
EQUITI S. STEPHANI
CUI PRIMOGENITI PRAEROGATIVAM
NON TAM NATURA DEDIT QUAM VIRTUS
PIETATE IN DEUM HUMANITATE ERGA OMNES
PRUDENTIA INGENIO LITTERARUM STUDIIS
ET EQUESTRIBUS DISCIPLINIS APPRIME PRAEDITO
QUEM VIGESIMO SECUNDO AETATIS ANNO
PRAEREPTUM
MATRITANA CURIA PUBLICO NOBILIUM LUCTU
DEPLORAVIT
AGNOSCENS HAUD DEFUISSE
IN ADOLESCENTIAE FLORE MERITORUM SENIUM
NON ENIM ANNIS VIVUNT MORTALES SED FACTIS
D. JULIUS ARCHIEPISCOPUS TARSENSIS
ET IN HISPANIARUM REGNIS NUNCIUS APOSTOLICUS
CARISSIMO EX FRATRE NEPOTI
HOC AMORIS SUI MONUMENTUM
MAESTISSIMUS POSUIT.

(10) En litterarum exemplum, quas Rospiliosius dedit ad Samuelem Sorberium pridie Kal. Augusti MDCLXII. „ Quanto moerore me affecerit luctuosus obitus illustrissimi ac „ sapientissimi Praesulis Petri de Marca vel ex propria ani„ mi aegritudine colligere dominatio tua abunde potest. „ Neque enim te latet qualiter singulari ipsius humanitati „ me profitebar obstrictum, quantumque insignibus ejusdem „ meritis tribuebam: quo sublato, plurimam in Christiana „ Republica factam esse jacturam intelligunt & dolent omnes. „ Vitae tamen innocentia & assiduum Religionis studium cum „ illi aditum ad caelorum praemia patefecisse non dubie exi„ stimentur, nostras etiam lacrimas abstergere, & dolorem „ temperare possunt, sperata tanti viri felicitate. Haud medio„ cre etiam exhibebunt mihi solatium occasiones omnes, „ quibus paratissimam erga dominationem tuam voluntatem „ aliqua ratione declarandi, quemadmodum impense cupio, „ opportunitas praebeatur, cui prosperos rerum omnium „ eventus a Deo enixe precor. Eant nunc (prosequitur „ Baluzius) qui famam illustrissimi viri dehonestari conati „ sunt maledicentissimis satyris suis. Pudeat illos suae te„ meritatis post tantum tamque illustre maximi Pontificis „ de Marca testimonium. „ Haec Baluzius in vita Petri de Marca, quam se scribendam suscepisse auctore Rospiliosio in aditu ipsius vitae exponit.

(11) Lubet hoc loco exscribere quae Angelus Corrarus praedicavit de Rospiliosio cum pro officii sui ratione (erat enim Venetorum ad Alexandrum VII. Legatus) de toto Romanarum rerum statu suos edocendos suscepisset. Elegans, sincera, prudentiae & acuminis plena haec narratio est, de qua Foscarenus mentionem fecit: *Storia Letteraria Veneziana* p. 463. n. 44.

Del Cardinal Rospigliosi Pistojese primo Segretario di Stato non potrei dir tanto bene, che non meritasse, se ne dicesse molto più; poichè non saprei quasi se miglior natura d' uomo si potesse dare per empire degnamente quel posto. E lo conosce ben il Papa che più volte ha avuto a dire di aver ritrovato un Segretario secondo il cuor suo. Ha giudizio sincero, sciolto affatto d'ogni interesse, non s' innamora delle sue opinioni; e quando le ha esposte, ha gusto che siano censurate e moderate, se così ricerca il servizio del Padrone. Nutrisce affetti indifferentissimi; e sebbene corre opinione, che essendo stato Nunzio in Spagna, ove si fece grandemente amare dal Re e da tutta la Corte, egli possa propendere con l' inclinazione ai comodi di quella Corona, s' ha per falso, perchè in tempo mio ci sono stati dei torbidi in quella Corte, che avriano potuto facilmente rasserenarsi con l' interposizione d' un Ministro tanto accreditato. Ma quanto più si è potuto dubitare che ei patteggiasse con la Spagna, tanto più si è astenuto di fraporne il suo parere. Stà ritirato quanto più può dal dar udienza, non volendo egli altra occupazione che quella del suo carico, al quale stà affisso con tutta l' accuratezza, portando ogni sera i negozj digeriti a sua Santità, e pigliandosi egli medesimo la briga di far le minute delle lettere in quegl' interessi, ne' quali il Papa preme. Posso però dire, che meco non abbia dimostrato mai ritrosità in ascoltarmi, massime che anch' io ho avuto avvertenza di non chiederli udienza, se non in occasioni urgenti; ed ho avuto sempre quella soddisfazione, che si può aspettare da un Ministro obbligato a non recedere un puntino dai sensi del Principe. E' tanto più stimabile questo Cardinale, perchè dandosi vacanza di Sede in questo tempo, avrei per molto ben fondate le sue speranze, avendo i Spagnuoli, e il Gran-Duca per se, e probabilmente ancora il concorso delli due Capi, che

pre-

predominerebbero in un Conclave, cioè di Barberino, che a tempi d' Urbano diede impulso alla sua fortuna, e di Ghigi, di cui è creatura benemerita.

(12) Lubet ipsam orationem exscribere, ex qua existimari poterit, quam graviter apteque pro dignitate personae ad amplissimum ordinem dicere consueverit Clemens, adeo ut non dubitem hoc de ejus orationibus affirmare, quod de Euripidis versibus censebat ille, tertio quoque verbo continere immortalis praecepta virae. » Cum ex Sanctissimi Pontificis Leonis documento ingratae mentis indicium sit beneficia tacere divina, primum agimus ac semper acturi sumus humillimas gratias omnipotenti Deo, qui nostram humilitatem respexit supra meritum supra votum. Deinde ut Leonis Magni verbis utamur, vestrae quoque humanitatis arbitrium debita gratiarum actione concelebramus, qui nullis praecedentibus meritis tale de nobis judicium protulistis. Hinc imbecillitatis nostrae gemina exoritur in tanti oneris discrimine subsidii spes, altera ex praepotentis Dei patrocinio, ex consilio vestro altera. Certum enim est nos non modo agere non posse aliquid, sed ne cogitare quidem a nobis tanquam a nobismetipsis, sed omnem sufficientiam nostram esse a Deo. Ideoque gaudemus freti hac spe fore, ut clementissimus Dominus, qui ad ostendendas divitias omnipotentiae suae vocat ea, quae non sunt, tanquam ea quae sunt, nobis abunde impertiatur eam Divini Spiritus auram, qua feliciter in tot saeculi fluctibus Ecclesiae navim regamus. At nunquam navis regitur a solo nauclero. Praevidere is potest pericula, cursum ordinare, instruere vela, sed eget consilio & ope multorum. Igitur vestra consilia nobis esse per quam necessaria intelligimus; nam ex oraculo Spiritus Sancti, ubi

» multa consilia ibi salus, ideoque, uti par est, vos in » consortium laboris advocamus. Communis erit omnium » nostrum in caelo merces, si in Ecclesiae rebus adjuvan» dis communis fuerit labor. Et vestra interest ne Christia» na Respublica judicio vestro in nos eligend inter tot sa» pientia, virtute atque experientia praestantissimos Patres » fraudatam se conqueratur. Nos certe non faciemus ani» mam nostram pretiosiorem quam nos; nec refugiemus » laborem aliquem, qui ad nostri Ministerii partes adim» plendas conferri possit. Hoc animo, divina favente cle» mentia, vestrisque coadjuvantibus virtutibus, quas nobis » nunquam defuturas speramus, libenter humeros, quamvis » longe impares, tanto oneri subjicimus ».

(13) MENSAM NUMMULARIAM
S. SPIRITUS
A SEMP. MEM. PAULLO V. ERECTAM
HAS IN AEDES
A CLEM. VII. MEDICE CUDENDIS NUMMIS DESTINATAS
AB ALEX. VII. NOVA STRUCTIONE MUNITAS
CLEMENS IX. P. M.
FELICIBUS AUSPICIIS
TRANSTULIT STABILIVIT
ANNO DOMINI
MDCLXVII.

(14) Jure uxoris Mariae Theresiae Philippi IV. filiae se agere dicebat Ludovicus. Leges quidem Belgicae in successionibus feminas ex primo matrimonio maribus ex secundo procreatis praeferre videntur; sed cum omnibus paternis juribus Regina Galliarum, priusquam nuberet, renuntiasset, argumentum, quo utebatur Ludovicus, erat absurdum, sed quod tamen animum ad inferendam injuriam promptum ostenderet.

(15) Très-S. Père.

Nous dépeschons à Rome ce Courier exprez pour donner d'autant plustot à V. S. la joye d'apprendre que la paix est faite, & nous nous asseurons qu'elle en sera le mesme jugement que nous, quand elle sçaura de nostre Cousin le Duc de Chaune nostre Ambassadeur les particularitez de ce qui s'est passé hyer icy avec les Ministres d'Angleterre & de Holande, dont nous avons chargé nostre dit Ambassadeur de rendre un compte fort exact à V. S. Nous pouvons cependant luy dire avec verité que dans toutes les facilitez, que Nous avons apporteés de nostre part pour mettre ce grand ouvrage au bon estat qu'il est, Nous avons eu tousjours en veue de complaire à V. S. que nous sçavons ne desirer rien en ce monde avec plus d'ardeur que la fin de cette guerre, & en effect le principal motif, que Nous avons eu d'accorder [à nostre très-grand prejudice, veu l'estat des affaires] une suspension d'entreprises jusqu'à la fin de May, a esté de satisfaire à l'instance que le S. Archevesque de Thebes son Nonce extraordinaire nous en fit y a quatre jours de sa part dans l'audience secrete, que nous lui avons donnée. Cette instance nous a fait tomber les armes des mains plus que toute autre consideration dans une conjoncture où nous pouvons ce nous semble dire sans trop de presomption que nous aurions emporté en peu de mois les principales places des Pays bas malgré les oppositions de tous ceux qui auroient voulu appuyer nos ennemis. Mais nous ne nous repentirons jamais d'avoir perdu de si grands advantages, quand nous ferons reflexion que nostre moderation aura procuré à son Pontificat l'esclatante gloire, qui le doit rendre si recommandable au dessus de tous les precedens, en ce que l'authorité de V. S. par le respect filial, que nous avons porté à sa seule Personne, aura mis la paix entre les Potentats & Princes Chrestiens. Ce qui ne s'estoit point veu

depuis plusieurs siecles. Cependant Nous prions Dieu ardemment, qu'il veuille, très-S. Pere, conserver longues années V. S. au bon regime de nostre mere S. Eglise. Escrit à S. Germain en Laye le 16. jour d'Avril 1668.

Vostre devot fils
Le Roy de France & de Navarre
LOUIS.

(16) *Louvois nouveau ministre de la guerre avoit fait des préparatifs immenses pour la campagne; des magazins de toute espéce etoient distribuès sur la frontière. Il introduisit le premier cette méthode avantageuse, que la foiblesse du gouvernement avoit jusqu'alors rendu impraticable, de faire subsister les armèes par magazin. De quelque côté que le Roi tournât ses armes, les secours, & les subsistances etoient prêtes, les logemens des troupes marqués, leur marches reglèes. M. de Turenne creé Maréchal Général commandoit sous le Roi, qui déclara qu'il vouloit apprendre l'art de la guerre de ce grand homme. Histoire de France liv. 23.*

(17) Ab isto initio tractus est sermo rerum, quae convenere inter disceptantes Reges. *Au nom de Dieu le Créateur: A tous presens & à venir soit notoire comme par l'autorité & les soins paternels de notre très-saint Pére Clément neuviéme du nom, séant heureusement dans le saint siege pour le bon regime de notre Mere Sainte Eglise & par les continuelles exhortations & très-vives instances de sa Béatitude, tant par plusieurs & diverses lettres ecrites de sa main qu'envois, & negociations de son propre Neveu aujourd'hui Cardinal Rospigliosi, & de ses Nonces extraordinaires, très-haut, très-excellent & très-puissant Prince Louis par la grace de Dieu Roi très-Chrétien de France & de Navarre &c.*

(18) „ Ludovicus miſeratione divina S. Mariae in Porti-
» cu Diaconus Cardinalis de Vendoſmo nuncupatus ad Se-
» reniſſimum D. D. Ludovicum Franciae & Navarrae Re-
» gem Chriſtianiſſimum & univerſum illius Regnum, illius-
» que Provincias, Dominia, Civitates, Oppida, Terras &
» Loca eidem Regi ſubjecta, dictoque Regno adjacentia,
» ceteraque alia loca, ad quae nos declarare contigerit,
» S. D. N. Clementis divina Providentia Papae IX. &
» Sanctae Sedis Apoſtolicae de latere Legatus, dilectis no-
» bis in Chriſto Officiali ſeu Vicariis Generalibus Eccleſiae
» Ulyſiponenſis ab illius Capitulo, Sede Archiepiſcopali va-
» cante, Deputatis, & veſtrum cuilibet in ſolidum ſalutem
» in Domino ſempiternam. Oblatae nobis pro parte Sereniſſi-
» mi Principis Domini Petri Infantis Portugalliae & Regni
» Regentis Laici, & Sereniſſimae Principiſſae Mariae Fran-
» ciſcae Eliſabethae de Sabaudia petitionis ſeries contine-
» bat, quod cum pro bono generali Regni Portugalliae, &
» ſummopere deſiderantibus univerſis illius Populis neceſſa-
» rium ſit, ut dicti Sereniſſimi Princeps, & Principiſſa in-
» vicem matrimonialiter copulentur, dubitant matrimonium
» hujuſmodi contrahere poſſe abſque diſpenſatione Apoſtolica
» eo quod dicta Principiſſa cum Sereniſſimo & potentiſſimo
» Domino Alphonſo Rege Portugalliae Fratre germano dicti
» Sereniſſimi Principis Petri alias matrimonium contraxit
» & in facie Eccleſiae ſolemnizavit, non tamen propter il-
» lius impotentiam conſumavit, ita ut nullum & invalidum
» via juris declaratum fuerit; ex quo matrimonio & ſpon-
» ſalibus praecedentibus forſan ſupervenit impedimentum pu-
» blicae honeſtatis & juſtitiae. Quare iidem nobis humili-
» ter ſupplicari fecerunt, quatenus eis in praemiſſis opportu-
» ne providere benigne dignaremur. Nos igitur ſufficienti

» ad infrascripta per litteras dictae Sedis, ad quarum in-
» sertionem non tenemur, facultate muniti, quique ex com-
» misso nobis Apostolicae Legationis officio omnibus ad
» nos undecumque confluentibus, ubicumque domicilium ha-
» beant, & undequaque originem trahant, opportune con-
» sulere possumus volentes erga illos, praesertim Regiae Stir-
» pis nobilitate illustres, gratiosum & benignum exhibere,
» ipsos & eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis
» & suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis,
» censuris & poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel
» caussa latis, si quibus quomodolibet enodati existunt, dum-
» modo in illis per annum non insorduerint, ad effectum prae-
» sentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes &
» absolutos fore censentes, ac certam de praemissis notitiam
» non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni
» tuae, de qua in his specialem in Domino fiduciam obtinemus,
» Apostolica auctoritate, qua fungimur in hac parte, per prae-
» sentes committimus & mandamus, quatenus deposita per
» te omni spe cujuscumque muneris aut praemii etiam spon-
» te oblati, a quo te omnino abstinere debere monemus,
» de praemissis te diligenter informes, & si per informatio-
» nem eamdem repereris, quod preces veritate nitantur,
» super quo conscientiam tuam oneramus, cum iisdem,
» dummodo illa propter hoc rapta non fuerit, quod im-
» pedimento publicae honestati & justitiae hujusmodi, & Apo-
» stolicis ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis edi-
» tis specialibus vel generalibus constitutionibus & ordina-
» tionibus, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus; ma-
» trimonium inter se publice, servata forma Concilii Triden-
» tini, contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare,
» ac in eo postmodum remanere libere & licite valeant, di-

„ cta auctoritate dispenses, prolem suscipiendam exinde le-
„ gitimam nunciando. Volumus autem quod si tu, spreta m -
„ nitione hujusmodi, aliquid praemii vel muneris occasione
„ praemissorum exigere, aut oblatum recipere temere prae-
„ sumpseris, excommunicationis latae sententiae poenam in-
„ curras, a qua nonnisi a Romano Pontifice vel a nobis,
„ aut alio a Sede praedicta specialiter facultatem habente,
„ absolutionis beneficium valeas obtinere. Datum Parisiis an.
„ Incarnationis Dominicae MDCLXVIII. XVII. Kal. Apri-
„ lis, Pontificatus S. D. N. Papae anno I.

„ L. Cardinalis de Vendosme Legatus.

„ C. De Lionne Protonotarius Apost. Datarius.

„ I. Imonier Secretarius.

(19) „ Dilectis Filiis Didaco de Souza primo Inquisitori in
„ Officio Inquisitionis adversus haereticam pravitatem in Por-
„ tugalliae, & Algarbiorum Regnis auctoritate apostolica in-
„ stituto, ac Antonio de Mendoca Commissario generali Bul-
„ lae Cruciatae, & in eodem officio Inquisitionis deputato,
„ nec non Martino Alphonso de Mello Decano Metropolita-
„ nae Ecclesiae Elboren., itidem in officio Inquisitionis hu-
„ jusmodi deputato, ac Ludovico de Souza Decano Ecclesiae
„ Portugallen., & Emmanuelli de Magalhaens de Menezes Ar-
„ chidiacono dictae Ecclesiae Elboren.

„ Clemens PP. IX.

„ Dilecti Filii salutem &c. Injuncti nobis divinitus pa-
„ storalis officii ratio exigit ut omnium Christifidelium, &
„ praesertim sublimium personarum statui & quieti, quan-
„ tum nobis ex alto conceditur, secundum aequitatis at-
„ que prudentiae leges consulere studeamus. Oblatae siqui-
„ dem nobis nuper pro parte dilectissimi filii nobilis viri
„ Petri Principis Portugalliae, & dilectissimae in Christo fi-

» liae nobilis mulieris Mariae Elisabethae a Sabaudia Prin» cipissae de Nemours petitionis series continebat, quod » dicta Maria Elisabetha Principissa alias postquam matri» monium per verba de praesenti cum carissimo in Christo » filio nostro Alphonso Portugalliae & Algarbiorum Rege » illustri contraxerat, & cum illo sexdecim vel circiter men» sium spatio in figura matrimonii vixerat, cum illius ad » matrimonium hujusmodi carnali copula consumandum im» potentiam experta esset, eamque perpetuam existimaret, » coacta fuit ex conscientiae impulsu super ejusdem matri» monii invaliditate judicialiter agere coram dilectis filiis » Vicario Capitulari Ecclesiae Ulixbonen. illius Sede Archie» piscopali vacante, legitime deputato, ac Capitulo ac Cano» nicis ejusdem Ecclesiae Ulixbon. ordinaria jurisdictione pro» pter vacationem Sedis hujusmodi fungentibus, Deputatis» que per eosdem Capitulum & Canonicos una cum dicto » Vicario Capitulari nonnullis aliis Judicibus ad meliorem » negotii cognitionem & maturiorem caussae determinatio» nem, emanavit ab illis sententia declaratoria nullitatis dicti » matrimonii ex capite impotentiae hujusmodi, quae cum » lecta & insinuata fuisset dicto Alphonso Regi, ipse voce » scriptoque illi acquievit; & subinde ipsa Maria Elisabetha » Principissa, & dictus Petrus Princeps memorati Alphonsi » Regis frater germanus, postulantibus Regni comitiis seu » ordinibus tunc in Civitate Ulixbonen. congregatis pro » conservanda quiete & tranquillitate ejusdem Regni con» sentientes & volentes matrimonium inter se contrahere, » cum dubitassent ex primo dicto matrimonio aliquod impe» dimentum publicae honestatis justitiae inter eos exortum » fuisse, recursum habuerunt ad dilectum filium nostrum Lu» dovicum S. R. E. Cardinalem de Vendosme nuncium

„ tunc temporis nostrum, & Sedis Apostolicae ad carissimum
„ in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum Regem
„ Christianissimum de latere Legatum, qui cum litteras petitae
„ dispensationis super impedimento publicae honestatis justi-
„ tiae hujusmodi concessisset, directas praedicto Vicario Ca-
„ pitulari ac Officiali Ulixbonen. & eorum cuilibet in so-
„ lidum, alter eorum super eodem impedimento publicae
„ honestatis justitiae dispensavit cum ipsis Petro Principe
„ & Maria Elisabetha Principissa, qui postea in facie Eccle-
„ siae matrimonium inter se juxta formam Concilii Triden-
„ tini bona fide contraxerunt, & carnali copula consuma-
„ runt cum spe de proximo prolis edendae. Cum autem,
„ sicut eadem expositio subjungebat, praedicti Petrus Princeps
„ & Maria Elisabetha Principissa uti obsequentissimi & reli-
„ giosissimi nostri & dictae Sedis filii eorum conscientiae se-
„ curitati, simulque Regni praedicti tranquillitati opportu-
„ ne in praemissis a nobis provideri, & ut infra indulgeri
„ summopere desiderent: Nos matura super his cum non-
„ nullis venerabilibus fratribus nostris ejusdem S. R. E. Car-
„ dinalibus, aliisque viris gravissimis eximia sacrorum Cano-
„ num & Theologiae peritia, ac sapientia, prudentia, & re-
„ rum usu conspicuis consultatione adhibita, eosdem Petrum
„ Principem & Mariam Elisabetham Principissam Apostolici
„ favoris benignitate quantum cum Domino possumus prose-
„ qui volentes, & eorum singulares personas a quibusvis
„ excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ec-
„ clesiasticis sententiis & poenis a jure vel ab homine qua-
„ vis occasione vel caussa latis, si quibus quomodolibet in-
„ nodati existunt ad effectum praesentium dumtaxat conse-
„ quendum, harum serie absolventes, & absolutas fore cen-
„ sentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc hu-

„ militer porrectis inclinati, ac de vestra erga nos & Sedem
„ eamdem fide, doctrina, prudentia, & integritate plurimum
„ in Domino confisi, certam tamen de praenarratis notitiam
„ non habentes discretioni vestrae per praesentes committi-
„ mus & mandamus, ut vos, aut si aliquis vestrum legitime
„ impeditus interesse nequiverit, saltem tres ex vobis conjun-
„ ctim semper procedentes de praemissis diligentem inquisi-
„ tionem faciatis & exactam informationem capiatis, & si
„ per hujusmodi inquisitionem & informationem de eorum-
„ dem praenarratorum veritate, & praesertim quod matri-
„ monium primo dictum inter praedictum Alphonsum Regem
„ & dictam Mariam Elisabetham Principissam, ut praefertur,
„ contractum nunquam carnali fuerit copula consumatum,
„ vobis legitime constiterit, super quibus omnibus & singu-
„ lis vestram, & cujuslibet vestrum conscientiam graviter
„ oneramus, matrimonium primo dictum ab eadem Maria
„ Elisabetha Principissa cum dicto Alphonso Rege, sicut
„ praefertur, contractum, & nullum postea declaratum, nec
„ carnali unquam copula consumatum, si forsan ab initio
„ constiterit, & de praesenti constet, aut constitisse & con-
„ stare validumque fuisse & esse unquam apparere possit,
„ illiusque vinculum, etiam dissentiente memorato Alphonso
„ Rege, auctoritate nostra Apostolica, quatenus opus sit,
„ dissolvatis, perimatis, cassetis, & aboleatis; ac cum iisdem
„ Petro Principe & Maria Elisabetha Principissa super im-
„ pedimento publicae honestatis, justitiae hujusmodi, ita ut
„ illo ceterisque praemissis, ac inde quomodolibet, & quali-
„ tercumque forsan resultantibus & consurgentibus impedimen-
„ tis, seu quae inde resultare & apparere unquam possent,
„ nec non apostolicis ac in universalibus, provincialibus-
„ que & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel speciali-

,, bus constitutionibus, & ordinationibus, ceterisque con-
,, trariis, quibuscumque nequaquam obstantibus in secundo
,, dicto matrimonio inter eos, ut praefertur, contracto re-
,, manere libere & licite possint & valeant, eadem auctori-
,, tate dispensetis, nec non praemissa a vobis vigore prae-
,, sentium facienda & concedenda ex die contracti matri-
,, monii secundo dicti valere, ipsisque Petro Principi & Ma-
,, riae Elisabethae Principissae in omnibus & per omnia pro-
,, desse & suffragari dicta auctoritate statuatis, perinde ac
,, si eaedem praesentes litterae ante contractum matrimo-
,, nium secundo dictum concessae & a vobis juxta illarum
,, continentiam & tenorem executioni mandatae fuissent:
,, Prolem ex eodem matrimonio secundo dicto bona fide & in
,, facie Ecclesiae, ut praefertur, contracto jam conceptam
,, & forsan susceptam, ac dehinc concipiendam legitimam
,, decernendo, nunciando & declarando. Nos enim quam-
,, cumque necessariam & opportunam ad praemissa omnia &
,, singula facultate vobis harum serie de Apostolicae pote-
,, statis plenitudine tribuimus & impartimur. Decernentes
,, easdem praesentes litteras ac in iis contenta quaecumque
,, etiam ex eo quod praefatus Alphonsus Rex, & alii qui-
,, libet etiam specifica & individua mentione & expressione
,, digni in praemissis forsan interesse habentes, seu habere
,, quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad
,, ea vocati, citati, & auditi, neque caussae propter quas
,, ipsae praesentes emanarint sufficienter adductae, verificatae
,, & justificatae fuerint, aut ex alia quacumque quamvis le-
,, gitima, juridica & privilegiata caussa, colore, praetextu,
,, & capite etiam in corpore Juris clauso nullo unquam tem-
,, pore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio,
,, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus,

„ aliove quolibet quantumvis magno & ſubſtantiali, & in-
„ dividuam expreſſionem requirente defectu notari impugna-
„ ri, infringi, retractari, aut ad terminos juris reduci,
„ ſeu adverſus illas quodcumque juris, facti, vel gratiae re-
„ medium intentari vel impetrari, ſeu impetrato aut etiam
„ motu proprio, & de pari Apoſtolicae poteſtatis plenitudi-
„ ne conceſſo vel emanato quempiam in Judicio, vel extra
„ illud uti, ſeu ſe juvare poſſe; ſed ipſas praeſentes litteras
„ ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore ſuos-
„ que plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac
„ Petro Principi & Mariae Eliſabethae Principiſſae praefa-
„ tis, & aliis, ad quos forſan ſpectat & pro tempore quan-
„ documque ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime
„ ſuffragari; ſicque & non aliter in praemiſſis per quoſcum-
„ que Judices ordinarios & delegatos etiam cauſſarum Pa-
„ latii Apoſtolici Auditores ac S. R. E. praedictae Cardi-
„ nales etiam de latere Legatos, dictaeque Sedis Nuncios &
„ alios quoslibet quacunque praeeminentia & poteſtate fun-
„ gentes & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet qua-
„ vis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctori-
„ tate judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſe-
„ cus ſuper iis a quodam quavis auctoritate ſcienter vel
„ ignoranter contigerit, attemperari. Non obſtantibus prae-
„ miſſis, ac noſtra & Cancellariae Apoſtolicae regula de Jure
„ quaeſito non tollendo, nec non ſel. rec. Bonif. PP. VIII.
„ Praedeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de dua-
„ bus dictis, aliiſque Apoſtolicis, ac in univerſalibus, provin-
„ cialibuſque, & ſynodalibus Conciliis editis generalibus vel
„ ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, ceteriſque
„ contrariis quibuſcumque. Datum Romae apud S. Ma-
„ riam Majorem ſub annulo Piſcatoris die X. Decembris
„ MDCLXVIII. Pontificatus noſtri anno II.

(20) His addi potuissent quae tentavit Clemens per hominem Domenicanum, qui Ibraimo Turcarum Rege natus erat. Cum hic in Cretam trajecisset, nihil non egit, ut Vissirium sibi conciliaret, & ab oppugnatione retraheret. Postea Zacyntum cum abiisset, sollicitavit plures, ut jugum servile a cervicibus dejicerent, & arma pro defensione Christianae Reipublicae susciperent. Sed haec frustra. Vid. vitam *del P. M. F. Domenico di S. Tommaso detto una volta Sultan Osman. Napoli 1689.*

(21) Omnes accusare videntur Venetos, quod in bello male auspicato diutius, quam consuevissent, perseveraverint. Cujus ob infelicem exitum plurimum imminutum est, & pene extinctum commercium, quod iisdem erat cum Orientalibus populis. Eorum locum occuparunt Galli vendendis transvehendisque mercibus, collocandisque domiciliis in praecipuis imperii Turcici urbibus. Exhausto aerario ob diuturnitatem belli, tum primum deliberarunt Veneti nobilitate eos donare, qui centum ducatorum millia pependissent. Ex quo evenit, ut multi mercaturam deseruerint; iique cum fundos non haberent, paullatim ex copiosis & divitibus inopes & pauperes facti sunt. Ad id necesse fuit non solum recipere in civitatem, & jura nobilitatis iis familiis reddere, quae olim e sinu gremioque patriae abstractae in Cretam, missa eo colonia, concessere, sed etiam eorum indigentiae, quod fieri sine novis tributis non potuit, subvenire. Ex nimium aucto pauperum nobilium numero rixae & turbae in Aristocratica Republica consequi debuerunt; imperatis vero gravibus tributis, quaedam artes refrixere, aliae vero penitus esse defierunt. Quae postea gesta ad tollendam difficultatem nummariam plurimum etiam auctam ob renovata bella cum Turcis caussa Peloponesi, novis afflixerunt malis Rempublicam,

Nihilo tamen minus, ut verbis Guicciardinii utar, manet, manebitque *inveterata sedes incorruptae libertatis*, cum cetera imperia occidant, fluant, labantur, nec diutius uno & eodem statu esse posse videantur.

(22) Plura sunt indulta hujus generis, quae Clemens Ludovico Galliarum Regi concessit. En eorum tituli, eo ordine iisdemque verbis, quibus relata sunt in volum. Constitutionum Pontificiarum.

„ Indultum Regi Christianissimo nominandi ad quaecumque Monasteria, Prioratus, Dignitates etiam majores „ & principales, aliaque beneficia (exceptis Curatis) in „ civitatibus Meten. Tullen. & Virdnen., eorumque terri„ toriis dicto Regi subjectis.

„ Concessio Jurispatronatus ad Ecclesiam Attrabaten.

„ Confirmatio Jurispatronatus ad Ecclesiam Elenen. ac „ Monasteria Concistorialia in Comitatibus Ruscinonensi & „ Confluentino, & parte Ceradanae versus Galliam consistentia.

„ Indultum nominandi ad dignitates Abbatiales & re„ gimina Monasteriorum, Prioratus & Praepositaras, seu „ Praepositatus Conventum habentes in locis & ditionibus „ Belgicis, quae de praesenti possidet.

„ Indultum nominandi ad Ecclesiam Tornacen.

„ Ampliatio juris nominandi ad dignitates Abbatiales „ & regimina Monasteriorum, Prioratus, Praepositaras, seu „ Praepositatus Conventum habentes in quibusdam ditioni„ bus Belgicis consistentes Regi Christianissimo antehac con„ cessi ad similia beneficia consistentia in aliis ditionibus „ Belgicis ei per nuperum tractatum pacis a Rege Catho„ lico concessis & renunciatis.

(23) In litteris, quae hac de re scriptae fuerunt Legato Pontificio IV. Kal. Jun. MDCLXVIII. haec erant. *Il Sig.*

Imbasciatore di Francia nell' esporre a N. S. il consenso dato dal Re Cristianissimo per la demolizione della piramide disse che ciò non si faceva da S. M. per porlo in conto di cosa considerabile verso la S. S de, e che però si sarebbe solamente eseguito quando ciò fosse stato piacere di S. S. Ipse vero Legatus Pontificius haec scripsit v. Kal. Quint. *Il consenso del Re, perchè si abbattesse la piramide che fu eretta costi contro i Corsi, ha suscitate in Francia voci d'applauso e concetto di particolar propensione di S. M. verso l'ottimo governo e Pontificato presente.*

(24) I. Propositio. Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum praesentes, quas habent, vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia qua possibilia fiant: temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam & haereticam declaramus, & uti talem damnamus.

II. Propositio. Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur: haereticam declaramus, & uti talem damnamus.

III. Propositio. Ad merendum & demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione: haereticam declaramus, & uti talem damnamus.

IV. Propositio. Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare: falsam & haereticam declaramus, & uti talem damnamus.

V. Propositio. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse: falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo

sensu, ut Christus pro salute duntaxat praedestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinae pietati derogantem, & haereticam declaramus, & uti talem damnamus.

(25) *Je condamne de coeur & de bouche la doctrine de cinq Propositions de Cornelius Jansenius contenues dans son livre intitulé* Augustinus, *que le Pape & les Eveques ont condamné; la quelle doctrine n'est point celle de saint Augustin que Jansenius a mal expliqué contre le vrai sens de ce saint Docteur.*

(26) Archiepiscopus Parisiensis Praefixus declaravit credi debere factum non fide divina, sed humana & Ecclesiastica. Magnos haec sententia rumores excitavit, & ad illam convellendam librum scripsit Nicolius. Nihilo tamen minus ipse fateri debuit, pacem versus gradum quemdam illa declaratione factum fuisse. *On est*, inquit ille, *comme descendu du ciel en terre. Et il y a bien moins de distance de la foi humaine au silence, qui est l'unique moyen d'establir une veritable paix, qu'il n'y en avoit de la foi divine a cette foi humaine a la quelle on s'est reduit.* Alia alii excogitarunt, quae singula referre nimis longum esset.

(27) Novem Episcopi de eorum factis & scriptis judicium ferre debebant, ab iisque sic expectabatur, ut ab hominibus studiosis & fautoribus Jesuitarum.

(28) *A l'egard du fait contenù dans le dernier formulaire nous nous obligeons a une sommission de respect & de discipline qui consiste a ne point s'elever contre la decision qui en a été faite, & à demeurer dans le silence pour conserver l'ordre qui doit regler en cette matiere la conduite des inferieurs a l'egard des Superieurs Ecclesiastiques.*

(29) Ad confirmandum Pontificis animum haec, ipso jubente Rege, scripsere IV. Episcopi, monumentisque publicis

eorum

eorum scriptum configuatum fuit. *Les quatre Evêques & les autres Ecclésiastiques ont agi de la meilleure foi du monde, & n'ont assûrément que des pensées d'un très-grand zèle pour conserver la foi de l'Eglise, & d'une profonde soumission pour le Saint Siége. Ils ont condamné, & fait condamner les cinq Propositions avec toute sorte de sincérité sans exception ni restriction quelconque dans tous les sens que l'Eglise les a condamnées. Ils sont très-éloignés de cacher dans leur coeur aucun dessein de renouveller ces erreurs, sous quelque prétexte que ce soit, ni de souffrir que personne les renouvelle & donne aucune atteinte à la condamnation qu'en a fait l'Eglise, n'y ayant point d'Ecclesiastiques qui soient plus inviolablement attachés à sa doctrine sur ce sujet & sur tous les autres. Et quant à l'attribution de ces Propositions au livre de Jansenius Evêques d'Ypres, ils ont encore rendu & fait rendre au Saint Siége, toute la déférence & l'obéissance qui lui est due, comme tous les Théologiens conviennent, qu'il la faut rendre au régard des livres condamnés, selon la doctrine catholique, soutenue dans tous les siécles par tous les Docteurs & même en ces derniers tems par les plus grands défenseurs de l'autorité du Saint Siége, tels qu'ont été les Cardinaux Baronius, Bellarmin, de Richelieu, Palavicin, & les Pères Petau & Sirmond & même conformément à l'esprit des Bulles Apostoliques, qui est de ne dire, ni ecrire, ni enseigner rien de contraire à ce qui a été décidé par les Papes sur ce sujet. A quoi ils ont ajoûté qu'ils procéderoient par les voies canoniques dans leurs Diocèses contre ceux qui manqueroient à l'un ou à l'autre de ces devoirs. Nous déclarons & certifions qu'ayant eu communication & connoissance particulière des sentimens des quatre Evêques & de ce qui est contenu dans leurs procès-verbaux, la doctrine qui est contenue dans cet Ecrit, est entièrement conforme à celle des susdits*

procès-verbaux & qu'il ne contiennent rien de contraire a cette doctrine. C'est aussi ma croyance & celle des dix-neuf Evêques qui ont ecrit a Sa Sainteté.

(30) En exemplum litterarum, quas Clemens scripsit tum Episcopis, qui de pace conficienda egerunt, tum iis, qui causae Jansenistarum duces & quasi signiferi fuerunt.

„ Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Senonensi
„ & Episcopis Catalaunensi & Laudunensi.
„ Clemens Papa IX.
„ Venerabiles Fratres salutem &c.

„ Non sine laetitiae sensu pervidimus etiam ex litteris „ Fraternitatum vestrarum, id quod a vobis prius ample „ significatum, ac deinde iteratis ac gravibus documentis „ confirmatum fuit, de perfecta atque integra obedientia no- „ bis & Apostolicae Sedi praestita per Episcopos Andega- „ vensem, Bellovacensem, Apamiensem & Aletensem subscri- „ ptione Formularii sincero animo & juxta praescriptum lit- „ terarum Apostolicarum ab eis facta; utque charitatis Apo- „ stolicae fervore succensi potius erga obedientes clementia, „ quam justitia in contumaces uti gaudemus, voluimus iis „ paternae benevolentiae nostrae argumenta praebere. Quae „ profecto speciali mentis affectu cumulata vobis, Venerabi- „ les Fratres, benevolentissime tribuimus; sperantes utique „ fore ut doctrina & probitas vestra, quae nunc optime „ merita est de Ecclesia universa, cooperando huic debitae „ submissioni ab illis Vicario in terris Jesu Christi, ac ejus- „ dem visibili capiti redditae cum plena & sincera executione „ Constitutionum Apostolicarum etiam in posterum eumdem „ prompti studii zelum adhibitura usque sit in ejiciendo quid- „ quid quavis ratione conferat ad extirpandas ab agro Domi-

,, nico zizanias omnium novitatum, veritati catholicae & perfectae fidelium unioni contrariarum. Tales animi vere pii ac religiosi in vobis laudes ut perpetuae ac in dies etiam clariores eniteant ex animo precamur Fraternitatibus vestris Apostolicam Benedictionem impertientes. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XIX. Januarii MDCLXIX. Pont. nostri an. II.

,, Venerabilibus Fratribus Henrico Arnaldo Andegavensi,
,, Nicolao Chouart Bellovacensi, Francisco Stephano
,, Apamiensi, & Nicolao Pavillon Aletensi
,, Episcopis.

,, Clemens Papa IX.

,, Venerabiles Fratres salutem &c.

,, Venerabilis Frater Archiepiscopus Thebarum Nuntius isthic noster misit ad nos elapsis diebus Fraternitatum vestrarum epistolam, in qua cum ingenti obsequii nobis & huic S. Sedi per vos debiti testatione significatis, vox juxta praescriptum litterarum Apostolicarum a felicis recordationis Praedecessoribus nostris Innocentio X. & Alexandro VII. emanatarum sincere subscripsisse, & subscribi fecisse in Formulario in ejusdem Alexandri VII. litteris edito. Etsi autem quaedam de hac re secus circumlata, occasionem nobis praebuerant in tam gravi negotio serius procedendi: nam dictorum Praedecessotum nostrorum constitutionibus firmissime inhaerentes, nullam circa illud exceptionem, aut restrictionem admissuri unquam fuissemus; in praesens tamen cum nova & gravia isthinc accepermus documenta verae & totalis obedientiae vestrae, qua & Formulario sincere subscripsistis, & damnatis absque ulla exceptione aut restrictione quinque propositionibus in omni-

„ bus sensibus, in quibus a Sede Apostolica damnatae fuerunt;
„ alieni prorsus estis a renovandis in hac re erroribus illis,
„ qui ab eadem damnati sunt, tribuere vobis voluimus hoc
„ paternae benevolentiae nostrae argumentum; fidentes pla-
„ ne divinae gratiae ac virtuti & pietati vestrae, quod omni
„ conatu facturi sitis in posterum, ut sincerae obedientiae ac
„ submissionis a vobis in hoc actu nobis praestitae plenitudo
„ semper magis appareat, doctrinam ac probitatem vestram
„ in id potissimum adhibentes, ut una cum obsequio nobis
„ & huic S. Sedi per vos debito Catholicam veritatem fir-
„ miter tueamini, zelo curaeque Pontificis sedulo cooperan-
„ tes in extirpando ab Ecclesia Dei novitates omnes ac per-
„ turbationes fidelium animarum. Vobis Venerabiles Fratres
„ Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Da-
„ tum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Pisca-
„ toris die XIX. Januarii MDCLXIX. Pontificatus nostri an-
„ no II.

(31) Principio deerat verbum *Gallicanae*, quod additum postea fuit. Incisum est etiam ectypum numismatis, in quo haec erant: *Ectypum numismatis, quod Ludovicus XIV. Rex Franciae & Navarrae anno* MDCLXIX. *restituta in concordiam Ecclesia cudi voluit ad insignis facti memoriam*.

(32) *La perpetuité de la foi de l'Eglise Catolique touchant l'Eucharistie defendue contre M. Claude Ministre de Charenton*.

(33) *La paix de Clement IX. ou demonstration des deux fausfetès capitales avancées dans l'histoire des V. Propositions contre la foi des Disciples de S. Augustin & la sincérité des quatre Evêques avec l'histoire de leur accommodement & plusieurs pieces justificatives & historiques*.

(34) Pinzonius in tractatu de Regaliis tom. II. p. 748.

ferre indultum Clem. IX. concessum VII. Idib. Martias MDCLXIX. Regi Casimiro, ut de quamplurimis ditissimis Monasteriis nominante Rege Christianissimo in comendam provideri posset. Rigantus in Commentariis ad Reg. Cancell. Reg. 43. n. 36. refert aliud Clem. Indultum concessum Joanni Paullo de Lionne.

(35) Hujus rei fides est penes Fridericum Montautum Magni Ducis apud Pontificem Legatum. His enim verbis scripsit ad eum, qui in negotiis Magni Ducis tractandis principem locum auctoritatemque tenebat. *Il Sig. Cardinal Rospigliosi mi ha detto che nelle lettere ricevutesi in questa settimana scrive Monsig. Nunzio di aver lungamente parlato con il Re intorno all' elezione del Successore, e che S. M. le abbia fatto conoscere, che in Condè, in Neoburgo, e negli altri nominati si considerino molte particolari difficoltà, e che nel fine del discorso dicesse queste precise parole. Il Sig. Principe di Toscana, che và vedendo il mondo, perchè non viene a veder questo Regno e a farsi vedere in esso? Il Papa ne fu lietissimo, e proponeva per parte sua ogni ajuto. D' ordine del Papa si è ordinato a Monsig. Nunzio Pignatelli di avvisare, se sente altro di più, e di cooperare in ogni congiuntura, che se gli offerisse. Anche il Cardinal Rospigliosi scrisse di pugno al Nunzio promettendoli le maggiori ricompense, se fosse riuscito in questo affare. Sollecita l' andata di Monsig. Marescotti anche per questo.* Litterae in quibus haec leguntur, datae sunt VI. Id. Feb. an. MDCLXVIII.

(36) *Vid. Memoires de Christine.* Alambertius, qui breviter summatimque descripsit vitam Reginae, ita de Clemente loquitur. *Alex. VII. eut pour Successeur Clem. IX. dont le Pontificat trop court fut appellé l'age d'or de Rome; Pontife liberal, magnifique, ami des lettres & des hommes assez eclai-*

té pour vouloir rendre la Religion respectable en terminant toutes les disputes, & dont l'esprit pacifique auroit du avoir plus d'imitateurs.

(37) En conditionis verba. ,, Ut Pontifex post conditio-,, nes peractas, Cardinalibus assentientibus, rescinderet de-,, cretum, quo Ecclesiae Romanae Castrum in perpetuum ad-,, dixerat; ut Duci Parmensi spatium praestitueretur octo an-,, norum, quo sexdecies ferme centena millia argenteorum ,, nummum persolveret, duabus pensionibus aequis; utque ,, statim post primam pensionem reciperet dimidium Castren-,, sium terrarum, reliquum post pensionem alteram.

(38) *Lettera del Conte Montauti Ministro del Granduca Ferdinando II. in Roma.*

Serenifs. Principe.

L'ardire che io piglio di far pervenire mie proprie lettere a V. A. S. spero non le sarà discaro come atto d'obbedienza dovuta ai cenni di N. S., quale dopo avermi benignamente ascoltato mi domandò se dovevo esporgli altro per ordine di V. A. ed avendoli detto che forse troppo avevo molestato S. S. mi soggiunse, che doveva lui trattar meco di negozio importante, che richiedeva segretezza, e doveva perciò passare tra S. B. e V. A. con il mio mezzo, che con tal condizione me ne faceva partecipe ordinandomi di scrivere a V. A. e di portargliene la risposta.

Dissemi che alla convenienza di dar un Cappello alla Casa Seren. di Toscana tanto benemerita si aggiugneva il desiderio che ha la S. S. di mostrar la memoria obbligata che conserva a V. A. per i continui favori compartiti da lei alla Persona e Casa Sua, e che però senza aspettarne altri impulsi, si dichiarava di voler ben presto soddisfarsi in uno dei Serenifs. Fratelli di V. A., giacchè di presente non poteva allargarsi a più, come forse potrebbe

he una volta portar la congiuntura; ma per l'esecuzione di questa sua intenzione, incontrando una difficoltà considerabile, che era il desiderio che hanno tutti due questi Serenifs. Principi del Cardinalato, pregava V. A. di superargliela coll'autorità e prudenza sua. Presuppone che Papa Alessandro abbia fatta gran riflessione a questa circostanza; ma disse che a lui dà assai più da pensare, perchè stima egualmente l'uno, e l'altro di questi Serenifs., e sà che la sua Casa l'è tenuta d'eguali obbligazioni, onde il gratificare uno con disgusto dell'altro sarebbe alla S. S. d'imperfetta soddisfazione; nè vorrebbe perciò che ella li rispondesse, che i suoi Serenifs. Fratelli, e V. A. con essi son rifegnati nei voleri di S. S., ma che seriamente li dichiarassi, qual sarebbe di maggior gusto suo, e di più servizio della Casa Serenifs., e che anco l'assicurassi, che l'altro s'acquieterebbe. In questa forma disse che stimerà per sua fortuna grande, che il suo Antecessore l'abbia lasciata questa opportunità di mostrare il suo affetto alla Casa Serenifs. con un atto di convenienza e di giustizia. Parmi di avere a sufficienza espressi i sensi di S. B., e dopo questo mi fò lecito di accennare a V. A., che non mi pare ci sia tempo da perdere, perchè il Papa hà bisogno di ajuto, onde si devè presupporre, che ben presto voglia far Cardinale il Nipote, con il quale si può credere, e par quasi che lo dica che promoverà anco il Sig. Principe; nè lascio di suggeritle ossequiosamente che tutti i Servitori e Amici della Casa Serenifs. stanno impazienti di vedere con mortificazione, quelli che han trascurato questo debito, e di vederla anco risarcita di quello splendore, che quanto se li riconosce dovuto, altrettanto li è desiderato dai veri servitori. Qui umilissimamente m'inchino a V. A. S.

Roma 11. Luglio 1667.

Di V. A. Serenis., da cui attenderò gli ordini di come contenermi da qui avanti con lo scrivere del negozio medesimo.

Umiliss. servo, e vasallo
Torquato Montauti.

Al Sig. Conte Montauto — *13. Luglio 1667.*

Le benignissime espressioni, colle quali la Santità di Nostro Signore si è compiaciuto di dichiararci i suoi generosi e cordiali sentimenti verso di noi e della nostra Casa, siccome hanno ecceduto la nostra espettazione ancorchè grande, così hanno ripieno l' animo nostro di santa consolazione, ed accresciuto a tal segno le nostre obbligazioni, che noi non sappiamo trovar parole proporzionate a confermare il debito che ne professiamo a S. S. E veramente nel trovarci prevenuti in quello di che andavamo meditando di supplicare la S. Sua, quando il tempo ne avesse maturata l'opportunità, ed invitati con viscere di paterna benevolenza a non perdere la presente congiuntura di far promuovere al Cardinalato uno dei Principi nostri Fratelli, è un frutto che resterà sempre impresso nella nostra memoria, e del quale attenderemo con impazienza di mostrarci grati verso il sangue di S. S., giacchè il posto sublime, in cui la Provvidenza divina l'ha collocata non ci lascia molta speranza di servire a Lei medesima con altro che con un reverentissimo ossequio e con una totale rassegnazione della nostra volontà. Intanto accettando e venerando le grazie che la S. Sua spontaneamente ci esibisce ci saremo lecito di palesare con intera sincerità e confidenza quanto finora è succeduto in questo proposito, e ciò che ha ritardato per l'addietro e ritardava ancora le nostre risoluzioni. Dovete dunque sapere, che dopo seguita la morte del Sig.

Cardinale Decano nostro Zio, applicammo il pensiero a procurare il Cappello per uno dei Principi nostri Fratelli, ma mentre stavamo con qualche sospensione, giacchè l'uno per l'età, e l'altro per l'abito e per la professione pareva da preferirsi, ed ambedue lo desideravano, portò poi il caso che il Sig. Principe Mattias dette in indisposizioni assai fastidiose, e che lo rendevano più bisognoso di quiete, che atto ad imbrogliarsi in nuove occupazioni. Non si è però tralasciato con diversi rimedj e presentemente con la doccia del Bagno di S. Filippo di tentare se il male sia per riuscire curabile, di che ancora non si vorrebbero perdere le speranze. Standosi pertanto in una ambiguità di questa sorte si protraevano da noi le deliberazioni per non rompere la concordia più che ordinaria che è passata sempre fra i nostri Fratelli con dar pretesto al maggiore di dolersi che senza causa l'ultimo gli fosse stato anteposto. Ma poichè adesso siamo in procinto di vedere gli effetti del Bagno, non intendiamo di differir più a fermare le nostre massime, e a ricevere le grazie di S. S. supplicandola solo a contentarsi di concederci pochi giorni di tempo a dichiarare quale dei due Principi sarà preferito da noi, desiderando questo breve spazio per il disinganno di chi dovrà restare indietro; con che si conseguirà pienamente l'intento che mostra avere N. S. circa il non disgustarsi ragionevolmente l'uno per la promozione dell'altro. Ma quando il tempo stringesse e non ci desse luogo di appianare maggiormente il negozio, volendo noi godere ostinatamente delle grazie di S. S. ci spedirete Corriere espresso ed in tutta diligenza per avvertirci dell'urgenza, perchè nell'istesso modo vi manderemo subito la risposta, e gli ordini del modo come dovrete contenervi, confidando che Sua S. nel favorirci avrà il principal riguardo a quello che noi giudicheremo essere di maggior servizio della nostra Casa, e per conseguenza anco delle sue

propria, mentre ne dovranno essere così comuni gl' interessi. Trattandosi di un negozio così grave procurerete di essere quanto prima ai piedi di S. S., e mentre crediate di non importunarla, potrete leggerle la presente per essere più certo di riferire puntualmente i nostri concetti; e Dio nostro Signore vi conservi, e prosperi.

Ex litteris ejusdem Montauti datis XIV. Kal. Sext. ejusdem anni MDCLXVII. haec scimus.

Aggiunse che avrebbe anche dilatato le sue dispozioni, se così fosse occorso a V. A. avendo particolar premura delle di Lei soddisfazioni, ed in questo particolare mi fece una lunga repetizione dei favori ricevuti dall' Altezza Vostra in persona sua e de' suoi, confermandomi che li voleva interamente dipendenti dalla Casa Serenifs., e che il loro maggior pregio doveva essere il mantenersi sudditi di V. A., pensando per questo di provvederli quì solamente d' una casa convenevole, e d' una vigna un poco più che ordinaria, acciò in ogni tempo chi vorrà applicare alla Corte di Roma trovi queste comodità, ma non voleva grandezze maggiori. Questo pensiero di S. S. può variare secondo gli accidenti, ma par ben durabile la disposizione che dimostra di voler esser molto favorevole agli interessi di V. A. e di mantener seco una vera corrispondenza.

Asservantur hae litterae in tabulario Mediceo. Quoniam vero desperare videbantur Medici de incolumitate Principis Matthiae, captum consilium a Magno Duce ut Leopoldus Princeps Cardinalis fieret. Insignia Cardinalatus a Vaino Pontificis cubiculario ille accepit.

(39) Vulgo Montensis dicitur haec interpretatio, quia Montium Hannoniae nomen pleraeque editiones prae se ferunt; quamvis non ibi typis commissum fuerit opus. Hujus est inscriptio: *Le nouveau Testament de nostre Seigneur Jesus-Christ*

traduit en françois selon l' edition vulgate avec les differences du Grec a Mons 1667. vol. 2. in 12. His autem litteris Clemens illam interpretationem damnavit.

Clemens Papa IX.

,, Debitum Pastoralis officii, quo Ecclesiae Catholicae „ per universum orbem diffusae regimini divina dispositione „ praesidemus exigit ut Sacras Scripturas in ea puritate, in „ qua per tot saecula ingenti divinae bonitatis beneficio „ conservatae fuerunt, illibatae custodire omni studio ac „ vigilantia satagamus. Cum itaque sicut ad aures nostras „ pervenit liber quidam versionis Gallicae Novi Testamen- „ ti, cui titulus est: *Nouveau Testament de N. S. Jesus „ Christ traduit en François selon l'edition vulgate avec les dif- „ ferences du Grec:* Montibus Hannoniae & Lugduni (ut „ inscribitur) typis impressus, ac editus in lucem fuerit: „ Nos librum hujusmodi nonnullis Venerabilibus Fratribus „ nostris S. R. E. Cardinalibus aliisque viris pietate, do- „ ctrina, atque sapientia praestantibus mature, quantum rei „ gravitas postulat, discutiendum atque examinandum com- „ misimus; quorum sententiis auditis atque consideratis eum- „ dem librum Versionis Gallicae Novi Testamenti ut supra „ & ubicumque impressum, sive inposterum imprimendum, „ tamquam temerarium, [illegible]nosum, a Vulgata editione prae- „ dicta difformem, & offendicula simplicium continentem, „ auctoritate Apostolica tenore praesentium damnamus & „ prohibemus, ita ut nemo deinceps, cujuscumque gradus & „ conditionis existat etiam speciali & specialissima nota di- „ gnus sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto „ incurrendae illum legere, retinere, vendere aut imprime- „ re vel imprimi facere audeat vel praesumat; sed sub ea-

» dem poena quicumque illum habent, locorum Ordinariis
» seu Inquisitoribus statim atque praesentis prohibitionis no-
» titiam habuerint, exhibere teneantur &c. Romae apud
» S. Petrum sub annulo Piscatoris die XX. Ap. MDCLXVIII.
» Pontificatus nostri anno primo.

(40) *Vid. Histoire critique des Versions du Nouveau Testament par Richard Simon cap. 35. e seqq. Roterdam. 1690. in 4.* Monendi tamen sunt lectores nimis infensum videri Simonem iis, qui Jansenistarum partium erant.

(41) His verbis sententiam pronunciavit Clemens.

Clemens Papa IX.

» Creditae nobis divinitus omnium Ecclesiarum sollici-
» tudinis ratio exigit ut Ecclesiasticae disciplinae cujus cu-
» stodes a Domino constituti sumus, ubique conservandae
» jugiter incumbentes omni cura atque vigilantia praeca-
» vere studeamus, ne quid in eam irrepat, quo quomodo-
» libet turbari aut a praescriptis ritibus aberrare, & via
» erroribus aperiri possit. Cum itaque (sicut nobis inno-
» tuit) anno proxime elapso typis impressus ac in lucem Pa-
» risiis editus fuerit Gallico idiomate liber, cui titulus est:
» *Rituel Romain du Pape Paul V. a l'usage du Diocese d'A-*
» *let avec les instructions, & les Rubriques en Francois*, in
» quo non solum continentur nonnulla ab ipso Rituali Ro-
» mano jussu felicis recordationis Pauli V. praedecessoris
» nostri edito aliena, sed etiam doctrinae quaedam & pro-
» positiones falsae, singulares, in praxi periculosae, erroneae
» & consuetudini in Ecclesia communiter receptae atque Ec-
» clesiasticis Constitutionibus oppositae & repugnantes, qua-
» rum usu & lectione Christifideles in jam damnatos errores
» sensim induci ac pravis opinionibus infici possint. Non

„ oppertunum huic malo remedium adhibere volentes motu „ proprio, & ex certa scientia ac matura deliberatione no„ stris, librum sub titulo Ritualis Gallico idiomate editum „ praefatum, auctoritate Apostolica tenore praesentium omni„ no damnamus, reprobamus, & interdicimus, ac pro da„ mnato, reprobato & interdicto haberi volumus, ejusque „ impressionem, lectionem, retentionem & usum universis & „ singulis utriusque sexus Cristifidelibus praesertim Civitatis „ & Dioecesis Aletensis, cujuscumque gradus, conditionis, „ dignitatis & praeminentiae existant, licet de illis specialis „ & individua mentio habenda foret sub poena excommuni„ cationis latae sententiae ipso facto incurrendae perpetuo „ prohibemus: mandantes ut statim quicumque illum habue„ rint vel in futurum quandocumque habebunt, locorum „ Ordinariis vel Inquisitoribus; qui vero Venerabili, Fra„ tri Episcopo Aletensi subsunt, Metropolitano aut uni ex „ vicinioribus Episcopis realiter, & cum effectu exhibeant „ tradant & consignent; qui nulla interposita mora exempla„ ria sibi tradita, & alia quaecumque habuerint, igne com„ burant, & comburi faciant; in contrarium facientibus non „ obstantibus quibuscumque. Ut autem praesentes litterae ad „ omnium notitiam facilius deveniant volumus & auctorita„ te praedicta decernimus illas ad valvas Basilicae Princip. „ Apost. & Cancell. Ap., ac in Acie Camp. Fl. de Urbe „ per aliquem ex Cursoribus nostris publicari, ac illarum „ exempla ibidem affixa relinqui, illasque sic publicatas o„ mnes & singulos, quos concernunt proinde afficere & ar„ ctare, ac si illorum unicuique personaliter notificatae & „ intimatae fuissent. Ipsarum vero praesentium litterarum „ transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicujus „ Notarii publici subscriptis & sigillo personae in Ecclesia-

» ftica dignitate conftitutae munitis eamdem fidem in ju-
» dicio & extra illud haberi quae eifdem praefentibus ha-
» beretur, fi forent exhibitae vel oftenfae. Datum Romae
» apud S. Petrum fub annulo Pifcatoris die IX. Aprilis
» MDCLXVIII. Pontificatus noftri anno primo.

Edito hoc decreto defenfionem non tam Epifcopi quam fui fufcepit Arnaldus, qui in illo opere conficiendo plurimum adlaboraverat: poftea opus ipfum Lovanii iterum impreffum eft XXVII. Epifcopis approbantibus.

(42) Libet hoc loco exfcribere quae vir fapientiffimus hac de re exaravit, juffus ab Innocentio XI, fententiam fuam exponere.

Poichè mi fi comanda, che io dica il mio parere in queft' affare tanto dibattuto del Rituale Romano accomodato dal morto Vefcovo di Alet a ufo della fua Diocefi, dirò d' averlo fcorfo, e trovato nel Catalogo delle fefte di precetto alcuna fefta di meno, indebitamente levate, come S. Giufeppe, S. Anna, e S. Silveftro: che egli fi dichiara di proporre al fuo popolo il Romano Rituale di Paolo V. ma vi frammette di fuo tante cofe, e fenza dar modo ai lettori, di poter difcernere il Rituale dall' eggiunta, che per quefto rifpetto merita il libro principalmente la proibizione, effendovi alcuni paffi ancora degni di correzione o di fpiegazione, e che volendo in certi capi di difciplina Ecclefiaftica rinnuovare gli ufi della Chiefa antica parla in maniera che fi riprovano le confuetudini contrarie per altro tollerabili e comunemente ricevute in Roma ed altrove, il che riefce tanto più dannofo appreffo il popolo, mentre ciò legge nel Rituale tradotto in lingua volgare.

Tutto quefto giuftifica la proibizione fatta del libro, ma non già quell' infolito rigore di condannarlo ad effere abbruciato, il quale ecceffo è fatto notorio, e molti defiderano, che fi

risarcisca la reputazione del Vescovo dalla S. Sede, alla quale in fine di morte con la debita sommissione ricorse, e supplicò Sua Beatitudine, che si compiacesse di togliere con l'autorità sua l'opinione ai fedeli, che egli abbia abbandonata la vera dottrina della S. Fede a segno di meritar dal Supremo Giudice della Chiesa un sì rigoroso gastigo. Compatisco il buon Vescovo, ricordandomi che i Santi, i quali hanno sopportate senza scusarsi gravissime calunnie con pazienza esemplare, non hanno patito l'opposizione con silenzio, se gli hanno trattati da eretici ed autori di mala dottrina. Ed egli sotto Clem. IX. di fel. mem. fece tal dichiarazione della sua fede, che se ne chiamò il Pontefice soddisfatto, nè poi si è mai sentito del Vescovo querela veruna, ma è sopravvissuto con buon esempio e credito di Prelato pio fino alla morte, per quel che ho da più parti sentito.

Per la qual cosa giudico che Sua Santità potesse terminar quest'affare, ordinando che nell'Indice de' libri proibiti si ponga il Rituale d'Alet con la condizione donec corrigatur; *perchè in tal maniera si mantiene la riputazione nella prima condannazione, mostrandosi che vi è fondamento di proibirlo: ma per altra parte si mitiga il rigore con un atto capace di doppia interpretazione; cioè che N. S. l'abbia fatto per grazia e sua benignità, e che per giustizia ed equità abbia compensato il soverchio rigore allora usato. Si edificheranno le genti vedendo, che non è inutile il ricorso alla S. Sede; che non si vogliono sostenere gl'impegni, ma che si ama la giustizia e la verità.* Hoc solet habere praecipuum Apostolica Sedes (*dice S. Bernardo a Papa Innocenzo II.*) ut non pigeat revocare, quod a se forte deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum. Res plena aequitate & laude digna, ut de mendacio nemo lucretur praesertim apud sanctam & summam Se-

dem. *Le quali parole avendo il Baronio riferite all'anno* 1135. *soggiunge*: ista Bernardus quam sapientissime.

Non mancano esempj di libri proibiti, e poi levati dall' Indice de' libri proibiti; ovvero proibiti assolutamente; e poi ridotti ad essere proibiti donec corrigantur. *Questo non significa che non vi siano gli errori, ma che possa il Libro esser utile, e che si possano emendare facilmente quegli errori notati. Crederei tuttavia, che non si dovesse venire alla correzione del libro: ma che ne facciano, se vogliono un altro di nuovo, dove pongono le dottrine migliori che vi sono, e si distingua il Rituale di Paolo V. da quello che vi si aggiugne.* Ita salvo &c.

Per ubbidire, come devo, ai comandamenti di Sua Santità rispondo che si prendono a mio parere le cose del Vescovo di S. Ponzio troppo aspramente. Ricorre alla S. Sede per la causa del Rituale d' Alet con fiducia nella clemenza e celebrata bontà di N. S., e ricorre dopo molte suppliche, sommissioni, ed umiliazioni fatte dal Vescovo autor del libro poco innanzi alla morte anche per consiglio di esso Vescovo di Pons; nè vedendo segno alcuno di perdono a risarcimento della riputazione del morto Vescovo suo grande amico riputato da lui e dal popolo Prelato d'ottimi ed ecclesiastici costumi, si riscalda ed esaggera per muover l'animo di S. Santità. Non è dubbio, in qualche parte eccede; ma non disdice punto al Sommo Pontefice, il quale conosce l'intenzione del Vescovo non esser cattiva, il compatire in lui con fraterna e christiana mansuetudine qualche eccesso di passione in rappresentare, dico, una causa, che ha gran giustizia per se, e pur vi è apparenza, che niente si pensi a rimediarvi. Imperocchè il P. Maestro Lauria medesimo ben informato del libro confessa, che notabilmente fosse aggravato il Vescovo nella qualità e quantità della pena, con offesa grave della riputazione, non potendosi far più con i libri di Lutero,

e di

a di Calvino, e con questa mortificazione il Prelato è vissuto nove o dieci anni fino alla morte.

Ricorre parimente il Vescovo per la causa del Formulario, e per quanto posso ricordarmi, dice due cose. La prima che molti abusano la sottoscrizione del Formulario, valendosene a screditare uomini dotti e pii non solamente privati, ma Prelati e Vescovi ancora, e di quì nascono discordie, si mantengono gli odj, e si fanno calunnie alle genti con molta facilità e frequenza: il che rappresenta il Vescovo a S. S., come cosa che egli insieme con molti altri stima che perturbi la quiete della Chiesa, e la carità e concordia de' Fedeli, e ne supplica di rimedio.

La seconda cosa è che la condannazione delle cinque proposizioni di Giansenio fatta da Innocenzio X. essendo stata generalmente dai Cattolici ricevuta, non vi è più niun Cattolico, il quale difenda quell' eresie. Il voler dunque che vi siano tuttavia seguaci di tali errori, non è verità, dice il Vescovo, ma un immagine e fantasma di molti che sono del partito de' Padri Gesuiti, che ciò per fini loro mantengono.

Questo non è ingiurioso ad Innocenzio X. anzi sua gloria che abbiano tutti ricevuta la sua costituzione. Non è ingiurioso ad Alessandro VII., perchè l' eresie che vuole Alessandro, che si detestino, tutti le riprovano, non essendo diverse da quelle che Innocenzio X. condannò.

Il Formulario poi, dice il Vescovo, esser oggi vano ed inutile, mentre gli eretici non vi sono, e ciò dicendo il Vescovo non condanna la medicina, ma vuol che essa non bisogni per esser il male cessato; non sentendosi quasi nessuno processato, e ritrovato reo di queste eresie, benchè moltissimi con grande facilità chiamati Giansenisti.

Tal' è il senso del Vescovo nella sua lettera per quanto

io posso raccogliere dalle sue parole e dai sentimenti, che hanno molti nella Francia, e in diversi libri gli hanno stampati. Nè dico ciò per approvare le cose del Vescovo, siccome non ho mai avuta tale intenzione, ma per suggerire con la debita riverenza a S. S. le notizie necessarie e poco sapute, onde possa restar pienamente informato, e con la somma sua prudenza regolare il tutto. Ipsius est summum rerum judicium: nobis obsequii gloria relicta est.

Le quali cose supposte, crederei che si potesse rispondere al Vescovo senz' altre lunghezze.

Che ben è dovere nelle occorrenze, ove si tratti di dottrine e scandali generali tra i Cattolici, che i Vescovi ricorrano prontamente alla S. Sede per l'opportuno rimedio. Che S. Santità loda la fiducia, che ha nella sua giustizia e provvidenza, poichè all'una, e all'altra invigila di continuo, ed implora il divino ajuto per esercitarle con ogni puntualità. Che nella causa del Rituale d'Alet ha lungamente pensato, come potesse in qualche modo corrispondere alla buona volontà del Vescovo dimostrategli vicino alla sua morte con tante suppliche e sommissioni: ma che la maggior difficoltà che s'incontra, viene dall'indebite pretensioni de' parziali del Vescovo morto, che vogliono liberare affatto dalla proibizione e censura il libro, in cui è fondamento e materia di proibizione, e ardiscono usarlo pubblicamente in varie Diocesi, come sentiamo.

Quant' è al Formulario, che S. S. vorrebbe, che nessuno veramente aderisse agli errori condannati, e allora si renderebbe facile a condescendere, e a levar la sottoscrizione di esso: ma che persone degne di fede significano a S. S. non essere estinto il male. Che sono degni di riprensioni e gastigo quei che l'abusano, e che non mancherà di pensare, come possa metter quiete, e mantener la concordia, escluse le dissensioni

e calunnie. Che esorta il Vescovo a non prendere la difesa di queste cause con tanto ardore, e che si contenti di credere che ai disordini conosciuti, per quanto si può nelle difficoltà e perturbazioni presenti, non tralascia S. S. di procurarvi rimedj opportuni.

(43) Vid. Lambert. de Synodo Dioecesana lib. 9. cap. 15. 7. & lib. 10. cap. 4. 4.

(44) Vide *Introduction a l'histoire du Regne de l'Empereur Charle V. par Robertson sect.* 1. 5. 2.

(45) Delegamus Lectores ad volumen, quod de vita Berninii scripsit Baldinuccius, ex quo intelligent, quam acceptus ille Pontifici fuerit, & quam liberaliter ab eodem donatus. Ibi quoque mentio fit cujusdam machinae, quae decidentis aquae murmur imitabatur, quamque excogitaverat Berninius ad somnum Pontifici conciliandum.

(46) Oratio, quam de laudibus Clementis habuit Augustinus Favoritus, est in manibus hominum. Cetera funebria more institutoque majorum peracta sunt. Concurrebatur undique ad visendum venerandumque cadaver Pontificis, beatosque se putabant plurimi si ei quidpiam vestimentorum detraxissent. Scriptum quoque invenio unum alterumve miraculum per eum peractum fuisse; sed quia res non est gravissimis certissimisque monumentis testata, in medio relinquimus. Clemens X. clarissimum monumentum reliquit grati animi sui in Rospiliosium, a quo Cardinalis creatus fuerat, cum ei magnificum sepulcrum in nobiliori Liberianae Basilicae loco decrevisset, in quo haec legitur inscriptio.

CLEMENTIS IX.
AETERNAE MEMORIAE PONTIFICIS
MAGNI CINERES
NE ABSQUE ULLO SEPULCRALI HONORE
SICUT IPSE JUSSERAT HUMI LATERENT
CLEMENS X. PONT. MAX.
BENEFACTORI SUO
ET OB SPECTATUM FIDEI ZELUM
OB EGREGIAM ERGA OMNES
BENEFICENTIAM ET CHARITATEM
DE RE CHRISTIANA OPTIME MERITO
GRATI ANIMI MONUMENTUM
POSUIT
ANNO DOMINI MDCLXXI.

ANGELUS FABRONIUS

MARCHIONI DE CONDORCETIO

PARISINAE SCIENTIARUM ACADEMIAE
A COMMENTARIIS

S. P. D.

Non tu quidem es a me edocendus de iis, quae Michael Angelus Riccius ad mathematicarum disciplinarum incrementum gessit: nam si non sus Minervam, ut ajunt, tamen inepte quisque Minervam docet. Est vero quod a te, vir humanissime & doctissime, mihi concedi pervelim, ut nimirum praefationis loco liceat hic referre sermonem quemdam, quem olim habuit Vincentius Vivianius cum amantissimo discipulo suo Laurentio Magalotto, cui si Riccius ipse interfuisset, non dubito quin idem, quod Themistocles, dicturus fuisset, se ejus vocem libentissime audire, a quo sua virtus optime praedicaretur. Quando in geometricarum rerum meditatione, ajebat ille, coepi studia ponere, fieri non posse rebar, ut quis longius procederet, quam quo pervenerat Archimedes illis

suis libris de sphaera & cylindro, de spiralibus, de conoidibus, & sphaeroidibus, de quadratura parabolae, & similibus. At progredientibus studiis, non sine admiratione intellexi theoremata illa, quae quondam reconditissima existimaveram, facta esse corollaria aliorum amplissimorum theorematum, eaque facile demonstrari posse ob novas repertas methodos, quae in se ipsis continent quidquid separatim Archimedes invenerat, non secus quam ex uno ramo pendere multa poma conspicimus. Credibile tamen est Archimedem putasse se non mediocria gessisse, nec potuisse alia via ad eamdem laudem perveniri. Quid si temporibus Pappi Alexandrini vixisset, ipsumque vidisset plena manu ad se venientem cum iis vere maximis theorematis de generali superficierum & solidorum mensura, quae tantam postea Guldinio, seu Joanni Faillio gloriam comparavit? Sed fac Pappum in tempora incidisse Torricellii & Cardinalis Riccii, nonne illum stupidum detinuissent theoremata, quae mirabiliter ab iis summis viris inventa sunt, quaeque in se continent non sua modo & Archimedea, sed infinita alia ab nemine antehac excogitata? Atque idem ego, qui gloriari possum vel ingenio, vel fortuna novas amplissimasque terras detexisse, num prope-

rea ceteris minime relictum esse locum arbitrabor ad majorem etiam gloriam adipiscendam? Magnus est in geometria campus; multis apertus cursus ad laudem; nec dubito quin talia posteri sint gesturi, quibus laurea illa magnis laboribus a nobis parta, longo intervallo omnem amisisse viriditatem videatur. Haec Vivianius; qui si reviviscerer, gauderet profecto (non enim invidia, sed publicae utilitatis amor unice summos viros tangit) factum esse praesertim ista tua adeo praestanti in analyticis rebus doctrina, ut vera eum divinasse judicatum fuerit. Vale.

Pisis Kal. Decemb. MDCCLXXIV.

MICHAEL ANGELUS RICCIUS

Michael Angelus Riccius natus eſt Romae III. Kal. Februarias an. MDCXIX. patre Proſpero Riccio Novocomenſi, matre Veronica Cavaleria Bergomate. Is admodum duro uſus eſt initio adoleſcentiae. Nam ejus pater fortunae bonis minime abundabat, eaque partiri cum ſeptem debebat filiis, unaque filia, quam Franciſco Paravicinio locavit. Nihilo tamen minus ſive felicitate quadam, ſive bonitate naturae, ſive parentum diſciplina rectam a pueritia morum inſtitutioniſque ſecutus eſt viam. In tanta malae conſuetudinis corruptela, ut perpauci tum eſſent tolerabiles Italici ſcriptores, eo pervenerat Riccius, ut Etruſci ipſi ſolerent ei ſuae linguae ſubtilitatem elegantiamque concedere. Sciebat etiam Graece & Latine ſatis luculenter: ſed praeſertim omnem vim ingenii, quae ſumma erat in eo, in geometricis rebus conſumpſit. Habuit principem & ducem ad ſuſcipiendam &

ingrediendam horum ſtudiorum rationem Evangeliſtam Torricellium; ac brevi fuit dignus, ut praeceptor non ſolum cum eo diſſereret, ſed etiam illius judicia exquireret. Quotidie fere, ut ex eodem Riccio ſcimus (1) congregabantur ipſe, Torricellius, Raphael Magiottus & Antonius Nardius: varii erant ſermones, diſputationeſque; & ſi quando accidiſſet ut eſſent in disjunctione ſententiae, conjunctiſſimi tamen amicitia manebant. Diſceſſus ex Urbe Torricellii non minuit, ſed potius auxit hujuſmodi exercitationes. Saepe enim ab eo afferebantur quaeſtiones tum de phyſicis, tum de geometricis rebus; & quidquid novi in his ipſis facultatibus inveniſſet, libentiſſime cum iis communicabat, quibus nullos amiciores & cariores ſe habere, nulloſque prudentiores ſe noſſe dicebat (2). Sunt in manibus hominum (3) litterae, quibus Torricellius Riccium docuit de barometro a ſe invento, quibuſque illa diluit, quae fuerant ab eodem objecta. Non enim adſcenſum hydrargyri in vacuo, ſuperincumbenti prementique aeri unice tribuendum eſſe Riccius putabat. Dum per medias laudes quaſi quadrigis veheretur vita

Torricellii, acerba ac dolenda adhuc incurrit mors, quae secum abstulit maximos illius laborum ac vigiliarum fructus. Cavit ille quidem supremis tabulis, ut scripta sua, in quibus multa erant imperfecta & inchoata, Bononiam mitterentur ad Bonaventuram Cavalerium, & hinc Romam ad Riccium, ut ab iis in vulgus, suppletis necessariis, ederentur. Sed Cavalerius non multo post Torricellium diem supremum obiit; Riccius autem aliis distractus curis magistri votis minime satisfecit. Verum ut ostenderet similitudine divini ingenii in eadem se incurrere Torricellii vestigia, edidit Romae an. MDCLXVI. *Exercitationem* quamdam *Geometricam*, qua vix vulgata, factum est opera Geometrarum Anglorum, ut iterum typis illa committeretur. Quod tum libri praestantiae, tum paucitati exemplarium, quae primum fuerunt impressa, tribuendum est. Riccius itaque in ingressu operis lemmata quaedam statuit, in quibus plura demonstrat, quae pertinent ad magnitudines, ut Geometrae loquuntur, quemvis ad gradum elevatas. Hac ratione sibi viam aperit ad agendum eadem methodo de curvarum passionibus, quae ad gradum quem-

vis similiter referuntur. Aliqua postea exponuntur ac geometrice demonstrantur theoremata, quorum denique scopus est ostendere: *Si recta quaelibet linea quavis proportione dividatur, maximum esse productum partium elevatarum ad respectivos proportionis numeros inter omnia producta similia, quae per quamlibet ejusdem rectae sectionem efformari possunt*. Exempli autem gratia propositio haec adhibetur ad determinandas tangentes infinitarum parabolarum (4); quod postremum exemplum normam suppeditat ad tangentes determinandas infinitarum ellipsium. His in disquisitionibus Riccius jam ab adolescentia fuerat exercitatus. Cum enim problema solvisset a Torricellio propositum de spatiis infinitarum spiralium, ita ab eodem appellatur in libello nondum edito de curvis iisdem: *rationes omnium spatiorum ad circulum demonstravit M. Angelus Ricci, qui infinitas quoque hyperbolas, ellipsesque contemplatus est, & non contemnenda theoremata inde derivavit*. Verum ipse nos cogit veritatis amor, ut hic testemur supra memoratum theorema ejusque demonstrationem a Torricellio fuisse inventam, ut ex ejusdem scripto, quod nos superiori in

volumine edidimus, apparet (5). Illud etiam nobis fatendum eſt, Torricellium ea propoſitione uſum fuiſſe in demonſtrandis tangentibus infinitarum parabolarum, nec non infinitarum hyperbolarum inter aſymptotos, praeter alias quaſdam inveſtigationes, tanto viro ſane dignas, quarum rerum omnium ſunt monumenta in ejuſdem MSS. quae Petri Leopoldi Auſtriaci Magni Etruriae Ducis ſingulari beneficio non ſolum videre, ſed diu etiam in manibus habere nobis contigit. At ſi Torricellius Riccio inventionis tempore anteivit, hic ipſum elegantia argumentorum, quae demonſtrationes dicuntur, certe ſuperavit. Maximo vero uſui fuiſſe Riccio commemoratum theorema multis in diſquiſitionibus, facile ex iis, quae ſcripſit, quaeque nos hoc loco referemus, apparebit. *Pergimus*, ait ille, *ad reliqua uſum praeſtantiſſimum habentia ad inveniendas plurium linearum tangentes, figurarum centra gravitatis, & quadraturas, item ad alia multa, quae juſto ſervamus operi, ubi dabimus novam conicorum ſolidorum ſeriem, qui ſecti exhibent infinitas, uti vocant, hyperbolas, infinitas parabolas, infinitas ellipſes, & analogiam ſervando, circulos*

etiam infinitos. Unde lectoribus apparebit, me plus adinvenisse, quam ceteros, eosque ingeniosissimos viros, qui communem tantum hyperbolen, parabolen, ellipsin, & circulum (figuras conici in nostra nova serie praedicta secundi gradus) agnoverunt: alias tertii & quarti, & ceterorum non item; nisi quod de parabolis infinitis per puncta in plano descriptis, pauca licet cognitione dignissima, tradidere nonnulli, quos inter duo praecellentes ingenio viri Fermatius ac Torricellius praeceptor meus, inventorum praestantia & numero commendabiles, ac veteribus proximi; qui novum insuper excogitarunt hyperbolarum infinitarum genus. Itaque si paucae proprietates erant infinitarum parabolarum a Torricellio peculiariter declaratae, quanto plura de iisdem Riccius in eodem opere commentatus fuisse dicendus est! Torricellius enim quadraturas ipsarum curvarum demonstraverat, nec non earumdem gravitatis centra atque tangentes, & qua ratione cylindri circumscripti ad conoides referantur, quae scilicet ex gyro parabolarum circa diametrum, & circa centra gravitatis earumdem conoidum existunt. Solida praeterea consideraverat praedictarum curvarum aut circa

propriam basim, aut circa tangentem verticalem, aut circa lineam diametro parallelam revolutarum; idemque praestiterat in solidis trilinei mixti, quod tum a linea parabolica, tum a verticali ejusdem tangente, tum a recta diametro parallela concluditur. Immo de hoc invento, quod postremo loco memoravimus, & unum erat ex adjunctis, in Galliam scripserat Torricellius (6). Nos eodem cum Torricellio animadvertemus, primum ex omnibus, qui parabolarum infinitarum proprietates demonstraverit, fuisse Fermatium, eademque re claruisse postea Robervallium. Quod pertinet ad infinitas inter asymptotos hyperbolas, Torricellius ipsarum passiones praecipuas primus adinvenit; hoc est quadraturas, solida atque tangentes, ut ipse testificatus est. Sed tempus est ut ad Riccium revertar, de quo Geometriae studiosi jure queri possunt, quod publico carere siverit, praeter illud, de quo dictum est, opus, alia etiam ab ipso perfecta, quorumque mentionem fecit in epistola, qua Stephano Gradio *Exercitationem* suam *Geometricam* nuncupavit. In altero ex his operibus breviter artis analyticae praecepta methodo geo-

metrica demonſtrabantur, & ſimul aliqua per auctores magni nominis errata notabantur. Altero in opere Riccius ad certas quaſdam propoſitiones revocaverat *quaecumque de geometria in genere diſputata & litteris conſignata* fuerant. Ex tribus, quas hic adjicimus, propoſitionibus, pronum erit conjectare quam egregia hoc opere continerentur, & quam acuti atque ſublimis ingenii ſpecimen Auctor exhibuerit. Itaque in generali una propoſitione, quam Torricellius & Gradius viderant, ac magnopere commendaverant, integra doctrina tradebatur XXX. propoſitionum Archimedis, Lucae Valerii, atque aliorum; duabus autem propoſitionibus pene totum id concludebatur, quod Jo. Carolus Faillius de centro gravitatis partium tum circuli, tum ellipſis oſtenderat. Vere videor poſſe contendere omnium mathematicorum, qui in Italia iis temporibus florebant, fuiſſe Riccium algebrae peritiſſimum, in quam facultatem ſtudioſiſſime operam dederat, non tam propter admirabiles illius utilitates, quam propter gloriam Italorum. Hi enim a Gallis & Germanis reprehendebantur, quod ad antiquorum geome-

triam, tanquam ad faxum, adhaerefcerent; cujus etfi laudabilior effet ufus propter rei difficultatem perfpicuitatemque, non fatis tamen ad magna inventa accommodatam effe dicebant. Incidit aliquando Riccius in hujufmodi reprehenfores, hofque ut erroris, aut arrogantiae convinceret, propofita ab ipfis difficillima problemata folvere memoriter non dubitavit; quod praedicare non auderemus nifi certiffimis effet monumentis teftatum (7). Ii vero qui minus in his ftudiis profecerant, illum fubaccufare videbantur (8), quod de trita a majoribus via interdum declinaret, ut in breviorem expeditioremque fe daret. Haec res certe illi plurimum valuit ad gloriam, quae aucta fingularis virtutis humanitatifque opinione efficiebat, ut certatim omnes illius amicitiam requirerent. Quid Leopoldus Mediceus Riccio non commifit? Quid immortalis ille vir geffit ad litterarum incrementum, quod cum ipfo non communicaverit? Ipfa Academia *del Cimento* ab Riccii confiliis pendere videbatur; nec prius edita illius commentaria fuere, quam graviffimum ejufdem judicium fubierint. Confultus etiam fuit de

perfi-

perficiendo Dictionario Academiae Furfureorum cum esset in eorum numero; nec parum auxiliis & copiis suis opus illud juvit. Academia Pisana ipsa quoque plurimum debet Riccio, quod per eum fastis suis nomina doctissimorum virorum adscripserit. Nec minus illud gloriosum, quod raro controversiae inter litteratos homines essent, quarum judex non sumeretur Riccius; ipseque Borellius, quem discrepantia opinionum, seu potius falsae suspiciones, difficillimique mores ab illo aliquando alienaverant, totam ad eumdem detulit disputationem, quam de rebus quibusdam in libro *de vi percussionis* expositis habuit cum Stephano de Angelis, & Michaele Manfredio (9). Crebro etiam commeabant ex Anglia & Gallia doctissimorum hominum litterae ad Riccium; & principes illi creatores Academiarum Parisiensis & Londinensis maximarum rerum notitias ab illo exquirere non recusabant. Is vero coluit praesertim Thevenotium & Hugenium, a quo ab anno MDCLXI. invitatum fuisse ad societatem quasi quamdam, & communicationem studiorum scriptum invenio. Ex quo cognosci potest cito, ac longe lateque fa-

mam de illius doctrina percrebuisse. Neque vero haec praestantia doctrinae solis philosophiae & matheseos finibus continebatur. Etenim ut moris majorum summus imitator, ita omnis antiquitatis doctus & intelligens fuit, adeoque callebat jura, consuetudines & disciplinam Ecclesiae, ut de his rebus, si quando controversia Romae oriretur, nunquam non ejus exquireretur sententia. Extant in tabulario Vaticano, sicuti me admonuit vir amicissimus, qui ei praeest, Cajetanus Marinius, plura Riccii iisdem de rebus scripta (10), quae satis indicant ipsius prudens ac sincerum judicium, & interiores litteras. His vero vel peritissimos in loquendo verecundiores fecisse arbitror, cum saepe Cardinalis Bona professus fuerit in iis, quae consulebantur, nihil se habere quod adderet sententiae Riccii, & in eam se libentissime iturum. Factus ab Alex. VII. P. M. Qualificator, ut appellant, ac paullo post Consultor S. Officii non ad suam gloriam, sed ad Christianae reipublicae utilitatem unice se spectare dicebat, quo fidentiori animo graderetur ad mortem. Multis quoque in rebus iisque magni mo-

menti a Clemente IX. & ab eo, qui illi ſucceſſit, adhibitus fuit ob edita omnibus praeſtabilis inſigniſque virtutis exempla. Qualis mens erat in eo ad rempublicam bene gerendam, quale ingenium ad bene dicendum! Inter cetera, quae Clemens, graviſſimo judicio Pontifex, ſe velle ei ſignificavit, fuit ut per ipſum inſtitueretur Academia, in qua ſacrae antiquitatis ſtudia in primis colerentur. Id autem ne perficeret Riccius cauſſa fuit ejuſdem Pontificis cita acerbiſſimaque mors; perfectumque paullo poſt a Joanne Ciampinio fuiſſe non modo gaviſus eſt, ſed etiam, quantum potuit, ejus induſtriae & gloriae favit. Num Ciampinii, ſicuti Franciſci Nazzarii, fautor quoque & adjutor fuerit Riccius in conſcribendis Litteratorum ephemeridibus, quod opus ipſius conſilio anno MDCLXVIII. primum ſuſceptum eſt, ignoro. Nemo profecto ad opem illius confugiebat, quin voti compos fieret, cum hoc unum ſibi propoſuiſſe diceret legendo, commentando & ſcribendo, ut aliis prodeſſet. Optaſſent multi ut intermiſſa mathematicarum rerum ſtudia renovaret; ſed ipſe ad ſacras litteras toto, ut ajunt, pectore incumbendum

putavit, exemplo maxime excitatus Leopoldi Cardinalis Medicei, & quod hujusmodi studia se debere existimavit religioni seditiosorum quorumdam hominum perfidia ubique fere perturbatae, & Romanorum Pontificum, quorum caussam saepe egit, voluntati. Cum vacabat occupationibus Urbis veniebat in Tusculanum, ut ibi delectaret otiolum suum, & valetudini consuleret. Erat enim in eo summa gracilitas & infirmitas corporis, quam ob vehementissimas animi in studiis contentiones se contraxisse minime dubitabat. His tamen aliquando gratiam habuit, quod per eas ex maximis angustiis liberare se posse putavit. Innocentius XI. non solum precibus Christinae Svecorum Reginae, sed etiam sua sponte suoque judicio excitatus (neminem enim se nosse dicebat, quem Riccio morum innocentia, prudentia atque doctrina praeferret, quod datis ei multis gravissimisque mandatis satis declaraverat) deliberavit illum in Cardinalium collegium cooptare. Et illud intelligebat omnium ora in eumdem esse conversa, aequos bonosque favere, quanquam vetus nobilitas, majorum facta illustria, cognatorum & affi-

ſtium opes ei deeſſent. Id ut audivit Riccius, non tam pertimuit, ſi ſubeundum eſſet, quam declinandum putavit, ſi honeſte vitare potuiſſet. Denegat itaque & jurat morbum, minaturque malum Lucae Antonio Portio, quo medico utebatur, niſi rem teſtimonio ſuo confirmaſſet. Interrogatur quidem Portius: ſed ea quae reſpondit fuerunt hujuſmodi, ut minime Pontificem de ſententia deduxerint, ſed potius in ea confirmaverint. Reſciens id Riccius queritur graviter cum Portio; & immoderate agitatus & fluctuans ſeſe in Tuſculanum recepit, unde ad Pontificem epiſtolam ſcripſit plenam argumentorum, quibus fieri poſſe ſperabat, ut ipſe voluntatem mutaret. Haec epiſtola non ad optatum impetrandum, ſed ad modeſtiam ſcriptoris probandam unice valuit. Itaque Riccius Kal. Septembr. anno MDCLXXXI. declaratus eſt S. R. E. Cardinalis. Non ille tamen idcirco adquievit, renuncians ampliſſimam dignitatem; nec prius a contentione diſceſſit, quam Pontificis Maximi imperio ſemel iterumque parere juſſus eſt (11). Homo conſtans & gravis, qui vere gloriari poterat ſe ſemper a gloria abſuiſ-

ſe; qui nunquam non irriſerat urbanas illas ambitiones, levitateſque; cui nihil fuerat dulcius otio litterato; cuique ſemper placuerat quieta vitae degendae ratio in contemplatione & cognitione poſita rerum, ab hac diſtrahi non doluit modo, ſed etiam ingemuit (12). Is uſque eo vitae ſtatum commutatum ferre non potuit, ut qui ſemper fuerat natura leniſſimus ac patientiſſimus ſibi gravis eſſe videretur; & qui dicere conſueverat omnium rerum, quas ad beate vivendum divina providentia comparaverit, nihil eſſe majus amicitia, nihil uberius, nihil jucundius, neque vero hoc oratione ſolum, ſed multo magis vita, & factis, & moribus comprobaverat, difficilis & moroſus adeo evaſit, ut nulli ei ſatisfacerent (13). Ex quo intelligi poteſt quam odioſa ſit omnis offenſio in fragili corpore. Nihilo tamen ſecius dedit Riccius magnarum virtutum exempla, ſed praecipue ſingularis & admirandae frugalitatis (14). Quid melius Riccio (ſcribebat Ciampinius ad amicum) quid innocentius & caſtius, quid in omni genere laudis ad exemplar antiquitatis expreſſius? Obiit vir ſanctiſſimus IV. Id. Majas an,

MDCLXXXII. paucis ſcilicet poſt menſibus quam Cardinalis factus fuerat, ſepultuſque in Aede S. Franciſci ad Tiberis ripam in ſepulcro majorum cum hoc elogio.

D. O. M.
MICHAELI ANGELO RICCIO ROMANO
TIT. S. MARIAE IN AQUIRO
S. R. E. DIAC. CARDINALI
QUI EXCELLENTI DOCTRINA
AC ERUDITIONE
APUD EXTERAS ETIAM GENTES
MAXIMAM FAMAM ADEPTUS
MORUM INNOCENTIA
AC SUAVITATE MODESTIA
IN GRAVIORIBUS NEGOCIIS GERENDIS
PRUDENTIA
ANIMI MODERATIONE
ATQUE RERUM HUMANARUM CONTEMPTU
SUMMORUM PONTIFICUM AMOREM
AC EGREGIAM APUD OMNES OPINIONEM
SIBI COMPARAVIT.
OB. AN. DOM. MDCLXXXII.
AET. SUAE LXIV.

(1) Vol. II. Epist. Clar. Vir. Epist. LXVI.

(2) Ludovicus Serenajus testamenti, quod fecit Torricellius, curator haec in epistola quadam ad Vivianium de Riccio scripsit. *Elesse il Sig. Ricci* (ad supplenda scilicet mathematica scripta, quae imperfecta reliquerat) *stimandolo il maggior ingegno da lui conosciuto nelle matematiche, e da lui in esse introdotto; e il maggior amico che avesse.*

(3) *Prefaz. alle lezioni Accademiche del Torricelli.*

(4) Ea deductio Ismaeli Bullialdo displicuit, qui cum rogatus fuisset sententiam suam exponere de Riccii *Geometrica exercitatione*, multa objecit, quae retulimus in II. volumen epistolarum clar. vir. Argumentis Bullialdi respondit Riccius in Epistola ad Leopoldum Mediceum, & ambo Censori parcendum esse judicarunt aliis nominibus de mathematicis disciplinis optime merito. Nemo est hodie qui ignoret quam recta sit atque accurata deductio illa ad infinitas parabolas: quamobrem opus non est, ut ad auctoritatem Borellii, Vivianii, Slusii, aliorumque illustrium mathematicorum, qui maxime illam commendarunt, confugiamus.

(5) Huic titulus est: *Racconto di alcune proposizioni ec.* Eo autem in loco haec habet Torricellius. *Questo gran teorema da me si dimostra per pura Geometria e senz' Algebra. Fu da me proposto un pezzo fa, nè per ancora ne ho avuta la dimostrazione universale, la quale stà riservata presso di me. E' ben vero che agli amici di Roma mandai già* [*pregato da uno di essi*] *la dimostrazione di tal teorema per quando gli esponenti delle dignità sieno in proporzione moltiplice solamente.*

(6) *Queste cose dell' Iperbole sono state da me proposte in Francia ed in Italia, ma per ancora non sciolte da nessuno per quanto io sappia. Se la quadratura di una sola Iperbola è stata cercata tanto, e sempre invano, noi per una ne diamo infi-*

cite. Haec Torricellius in supra memorata narratione, seu *Racconto d'alcune proposizioni ec.*

(7) V. epist. XLV. Vol. II. epist. clar. vir.

(8) Haec Stephanus de Angelis in epist. ad Leopoldum Mediceum. *Il Sig. Michel Angelo Ricci è stato da me conosciuto in Roma. Sino a quel tempo ho aspettato da esso ogni cosa, degno scolare del Torricelli, quale se non imita nella chiarezza, impareggiabile proprietà del Maestro, ciò è colpa della materia, e del modo con cui la tratta. L' Algebra quanto è strada sicurissima di portarsi ad ogni scibile, così non pare instilli quella via facile e piana, che vediamo nel Torricelli, che ritrovava conclusioni ammirabili con la strada resolutiva degli antichi. Il Sig. Ricci però quando non stampasse altro, vivrà sempre nella memoria degli uomini per questa sola operetta.*

(9) Vid. Borellii vitam. Communia studia brevi reconciliarunt Borellium cum Riccio, & firmam perpetuamque inter eos postea fuisse amicitiam satis ea declarant, quae Carolus Jo. a Jesu scripsit in Vita Borellii, ubi haec leguntur. *Sacramenta frequenter suscipiebat a P. Magistro Jacobo Riccio e Dominicana familia, sacraeque Indicis Congregationis Secretario a confessionibus adhibito, quem una cum ejus germano fratre Michaele Angelo Sacrae Indulgentiarum & Reliquiarum Congregationis pariter Secretario, ut bina hujus saeculi, nedum Urbis luminaria unice & quoad scientias & quoad mores suspiciebat.*

(10) Non erit ab re nominatim proferre nonnulla hujusmodi scripta. *Scrittura sopra il Rituale del Vescovo di Alet.* Vehementer Riccius approbat illorum consilium, qui librum illum damnandum, minime vero comburendum putabant; & ad mitigandam severitatem animadversionis censuit, ut is in indicem librorum damnatorum referretur cum clausula *donec corrigatur*. Nos quoque binas hac de re Riccii epistolas su-

pra edidimus pag. 190. & seq. *Censura della parte estiva del nuovo Breviario pubblicato dall' Arciv. di Parigi. Voto circa le 96. proposizioni attribuite a' Lovaniensi, e mandate al Papa dal Re di Spagna alli 24. Aprile 1681. Varie scritture sopra la causa de' Lovaniensi trattata negli anni 1677. 78. e 79.* Quae dixit & scripsit Riccius in hac caussa talia fuerunt (semper enim ordo, constantia & moderatio in omnibus ejus dictis & factis apparebat) ut vel ipsi Lovanienses fateri non dubitaverint: *Egregiam & caussae & sibi operam navasse. Minuta per il Papa a' detti Lovaniensi. Minute di lettere per il Papa in risposta ad alcune lettere del Vescovo di Angers intorno alla dottrina della grazia.* Erat Riccius perfectus theologus; & in iis quae ad divinam gratiam pertinebant, numquam ab Augustino discessit. Dolebat rem perniciosissimam in Ecclesiam induxisse homines novitatis amantes; seditionem atque discordiam. *Voto circa la frequente comunione*: nihil absurdum & alienum a Doctrina Ecclesiae esse putabat Riccius in hoc libro Arnaldi. *Riflessioni sopra le istruzioni di S. Carlo per i Confessori tradotte dai Lovaniensi. Emendazioni a' voti sopra la Canonizzazione di S. Tommaso da Villanuova. Minuta per il Papa in risposta al Vescovo di S. Ponzio circa la condanna del Rituale per la Diocesi d' Alet, il Formulario d' Alessandro VII. e simili materie, delle quali si disputava in Francia.* Haec scripta sunt an. 1678. *Giudizio sopra il Catechismo del Vescovo d' Angers.* Judicium suum exposuit Riccius in Epistola ad Favoritum hominem sibi officiis, usu, consuetudine conjunctissimum. Is erat Innocen. XI. ab epistolis arcanis notis conscriptis; cumque nulla fere res alicujus momenti fieret a Pontifice sine eo, raro sententiam suam Favoritus exponebat, quin prius Riccii consilium exquireret. *Pruove sulla celebrazione della Pasqua dell' anno 1666.* Quae fuerit

hac de re Riccii sententia cognosci etiam potest ex epistola LI. Vol. II. epistolarum clarorum virorum. Implicatus fuit molesto operosoque negotio *de Regalia*, scriptumque invenio aliquando displicuisse Pontifici, quod illi favisse visus fuerit. Sed haec satis superque. Non puto enim minima quaeque, de quibus Riccius consultus respondit, esse commemoranda.

(11) Haec Riccius ipse in epistola quadam. *Poichè ebbi umilmente supplicato N. S. in voce ed in scritto, che si degnasse per degni rispetti alla S. S. da me rappresentati, stando ai suoi santissimi piedi, sciogliermi da ogni legame, che avessi alla dignità del Cardinalato, piacque a Sua Santità di non esaudire le mie suppliche, ma per la festa di S. Teresa, giorno che sarà per me sempre memorabile, con reiterato comandamento mi obbligò a sottomettere le spalle alla carica del Cardinalato, gravissima per se medesima, e molto più a paragone del mio poco merito, e natural debolezza di forze, e contraria oltremodo al tenor del viver mio sempre ritirato in vita quieta e privata, ove m' aveva chiamato il Signore.* Extat in tabulario Vaticano longissima epistola Jo. Ciampinii ad Niccolinium, qui tum Avenionensem Provinciam administrabat, in qua de Riccio omnia ea narrantur, quae accidere a Kal. Septemb. ad Id. Novembris, quo die ipse Cardinalatus insignia accepit. Eadem in Epistola sententiae quoque exponuntur plurium Theologorum, qui tum editis scriptis disputavere, num Pontifex possit aliquem cogere ad Cardinalatus onus suscipiendum.

(12) Quanto angeretur animi dolore Riccius, illa satis declarant, quae ex Tusculano XI. Kal. Novemb. ad Favoritum suum scripsit. *Io mi vedo* (ait ille) *nel lago de' Leoni, onde non spero uscita, e vado pregando e supplicando il Signore*

che mi protegga; adjutor in tribulationibus, quae invenerunt me nimis, *accioccbè finalmente poss' io dire col S. Daniele*, non nocuerunt mihi, quia coram eo justitia inventa est in me, *e passare allegramente, quando a Dio piacerà in luogo migliore*.

(13) Vid. Lucae Antonii Portii vitam §. XXXIX. ubi etiam narratur Riccium obiisse fere repentino: cumque huic infortunio caussam dedisse existimasset Portius sanguinis missionem, inde fortasse occasionem sumpsit conficiendi librum, quem inscripsit: *Erasistratus, sive de sanguinis missione*.

(14) Quamvis tota vita Riccii dederit grave & firmum testimonium ejus frugalitatis & abstinentiae, lubet tamen hic unam rem exempli caussa ponere. *Diedi ordine in Roma*, scribebat ille e Tusculano ad Favoritum, *che la casa l'accomodassero in una forma conveniente alla maniera di vivere da me praticata per anni 63. ed alla professione fatta sempre di non voler pompe, onori, e dignità, ed ultimamente al rifiuto riverente del Cardinalato, e diedi in nota il modo. Si turberiano molti uomini savj e da bene, e gli Ecclesiastici Oltramontani, se non vedessero le conseguenze dell'animo repugnante al grado cardinalizio, cioè l'esser alieno da quelle pompe e ricchezze d'apparati, che non sono essenziali alle cerimonie e riti ecclesiastici. Oggi replico l'istesso; e siccome il Cardinal Bona senza stanze parate di seta, fu stimato, nè si disse, che avvilisse la dignità cardinalizia, così diranno di me gli uomini savj ... Alziamo gli occhi al Signore e regoliamoci con le sue divine ordinazioni manifestateci o ne' sacri canoni, o nella pratica degli uomini santi, e vedremo tutto aver lieto fine, e ridiamoci dalle vanità e rispetti mondani*. Quod vero Riccius uteretur familia, si utilitate judicandum est, optima, si numero & forma vix mediocri, hanc afferebat excusationem *di non volere eccedere in spese per riserbare a' poveri il loro patrimonio*;

OPERA EDITA.

Michaelis Angeli Riccii Geometrica exercitatio. Romae apud Nicolaum Angelum Tinasium 1666. Edita etiam fuit cum *Logarithmo-Technia Nicolai Mercatoris Londini typis Guilielmi Godhid anno 1668.*

Lettere varie. Selectas Riccii epistolas numero LVIII. nos edidimus in Vol II. *delle Lettere inedite d' uomini illustri.* Aliae alibi extant, ficuti in praefatione *alle Lezioni Accademiche del Torricelli*; in libro cui titulus: *Saggio di Storia Letteraria Fiorentina del Secolo XVII. scritta in varie Lettere da Giovambatista Clemente Nelli*; & in hoc ipso volumine pag. 190. & seq.

Sunt pauca quaedam ad Riccium pertinentia inter Brancatii Card. opera. Scimus ex Prospero Mandosio condidisse Riccium binas Dissertationes de mystica Theologia, alteram nempe *de contemplatione divina*, alteram *de divina unione*. Haec scripta, & amicitia quaedam cum Michaele Molinos, cui testamento legavit CC. centusses, movere suspicionem facile possunt, non satis cautum fuisse Riccium in declinandis periculis, quae vafer ille Hispanus vel sapientissimis viris struere & moliri non dubitavit. Sed tum damnati minime erant Molinos libri, neque suspicio ulla erat quidquam per eum tentari, quod Catholicae Religioni detrimentum esse allaturum.

FABRONIUS ALEMBERTIO

S. P. D.

Quae quantaque Galilaeus ejusque praestantiores discipuli gesserint superiori in volumine exposuimus. Peragam nunc quae veluti ab stirpe laetius feraciusque renatae philosophiae ad humanae vitae commodum utilitatemque dimanarunt, debitasque impertiar laudes sapientibus hominibus, quod nulli pepercerint labori in inquirenda veritate, quodque primi conati fuerint non solum ramos amputare erroris ac superstitionis, sed omnes etiam, si fieri potuisset, radicum fibras evellere. Tamen aliquid relictum est: ita sunt altae stirpes inscitiae atque stultitiae. Nemo profecto repetere memoria potest multa ac magna, quibus nunc gloriamur, inventa tum in naturalibus, tum in mathematicis rebus, quin summis efferat laudibus Franciscum Baconum, quasi verae philosophiae architectum. Natus ille quando in tenebris jacebant omnia, sensit nullam tum esse philosophiam, quanquam multi in illa se excellere facile sibi persuaderent. Fere enim semper hoc accidit, ut quo ma-

gis tenebricosa sunt tempora, eo propius ad veritatem se accedere homines arbitrentur. Alta, qua ille praeditus mente erat, omnia quae in universo scientiarum orbe dispersa atque infinita videbantur esse, ratione & distributione sub uno posuit adspectu, indicans quid singulis disciplinis, & iis, qui illas excolendas augendasque susciperent, propositum esse deberet. Quamobrem libros prudentissimi hominis, qui haec aliaque hujusmodi continent, e quibus praesertim eminet, qui de novo organo scientiarum *inscribitur, tamquam ipsius veritatis interpretes in augusto philosophiae templo sacrandos putaverim. Scientia morum, earumque rerum omnium, quas a natura repetimus, quasque isthaec communis parens genuit, ars gubernandi populos remque publicam administrandi, omnia denique, in quibus hominum continetur utilitas, omni fere involucro detracto, se se conspicienda dedisse Anglico Philosopho videbantur. Sed quidquid ab iisdem accepit, id cumulatius reddere voluit, undique divitias atque ornamenta ingenii sui spargens, omniaque suis luminibus illustrans. Dolebat maxime esse physicos pravis institutionibus, perversisque opinionibus sic imbutos, ut nunquam iis naturae lumen appareret, cujus mali cum unam emendatri-*

tem esse posse experientiam intelligeret, invitavit homines ut in hac consulenda constanter perseverarent, huic unice fidem haberent, caverentque a fallaciis systematum ac hypothesium, quas ad quaestum aut ad errorem inventas dicebat. Ut autem ipse ceteris exemplo esset, multis in locis suorum operum experimenta quaedam aut per se aut per alios habita exponit, illa comparat inter se, & plura indicat, in quibus peragendis utilissime versari posse philosophos arbitrabatur. Physicos, qui sola ingenii acie, & meditatis commentationibus latebras naturae peragrare se posse putant, Gigantibus comparat, quos poetae ferunt conatos fuisse imponere Pelio Ossam, & Ossae Olympum, cum bellum diis immortalibus inferre vellent. Mirum profecto videri debet illius sapientissimis praeceptis ac monitis paucorum aures patuisse; & quamvis nihil tam praepostere, tam incondite, tam monstrose cogitari potest, quod non somniaverint, qui tum dominabantur, Scholastici, horum tamen praevaluit auctoritas. Ad delirantes homines sanandos non satis erat indicare optimum, quod esset eligendum; speciosis mendacibusque visis mentes eorum prius erant concitandae, ut paullatim postea ad rectam revocarentur rationem. Et sane plus profuerunt poetica Cartesii commenta

menta

menta ad minuendam Scholasticorum tyrannidem, quam voces & exempla Galilaei & Newtoni, quamvis verae germanaeque philosophiae solidam expressam effigiem, non umbram & imaginem amatoribus illius sese ostendisse gloriari potuerint. Quae est in hominibus tanta perversitas, clamabat Borellius dum totus erat in naturalibus experimentis habendis, ut inventis frugibus, glande vescantur? Non alibi sane melius Baconi votis satisfactum fuit quam Florentiae, instituta per Leopoldum Mediceum Academia ab experiendo dicta del Cimento, *in qua cum princeps esset Borellius, de eo praesertim praedicari debet, quod physicam magnorum inventorum instrumento locupletaverit. Habes singulari doctrina hominis vitam, de qua scire quidem cupio quid sentias. Non enim te a me tanti fieri ignoras, ut si hoc scriptum tibi probabitur, eodem mihi futura sit auctoritas tua pondere, quo erat Platonis apud illum, qui dum ei placeret, ceterorum se contemnere judicia dicebat. Plurimum autem me debere profiteor homini multis litteris, ac praesertim geometria, historia, rerumque publicarum tractandarum scientia illustri Dominico Caracciolo utriusque Siciliae Regis ad Galliarum Regem Legato, quod ejus commendatione factum est, ut mihi*

facultas daretur tecum familiariter versandi, & propius contemplandi admirandique, quae de te omnes mirifice praedicant, divinum ingenium, eximiam in omni pene ingenua facultate doctrinam, & singularem humanitatem. Non vereor ne haec a me idcirco dici suspicere, quasi gratiam tuam aucupari velim. Neque enim tu is es (*libet usurpare Ciceronis verba ad L. Lucceium*) qui quid sis nescias, & qui non eos magis qui te non admirentur invidos, quam eos qui laudent assentatores arbitrere. *Vale, meque, ut facis, amare perge.*

Pisis III. *Kal. April.* MDCCLXXVIII.

JO. ALPHONSUS BORELLIUS

JOannes Alphonfus Borellius Neapolitanus. Scio plerofque fcripfiffe Borellium ab Meffana oriundum effe. Sed ego potiffimum Alexandro Marchetto credo, qui in ejus difciplina fuit, & apud ipfum plures habitavit annos. Is autem ait (1) Neapoli lucem adfpexiffe Borellium patre Neapolitano humilique genere, matre Hifpana ex nobili familia Borellia, & ab ea cognomen fumpfiffe. Paternum vero quamvis prorfus non rejecerit, vifus tamen eft voluiffe occultare, cum in nomen converterit: ex Alonzo enim Alphonfum fecit. Dies natalis illius incidit in v. Kal. Februarias an. MDCVIII. locus vero, in quo eft natus, fuit arx, quam *Caftrum novum* appellant, quod ibi Michael ejufdem pater militabat fub fignis Philippi III. Hifpaniarum Regis. De prima illius aetate puerilique inftitutione nulla eft memoria. Adolefcens captus phyfi-

P 2

(1) Vid. vol. 1. Epift. Clar. Vir. pag. 280.

eae rerumque mathematicarum amore venit Romam ad Benedictum Castellium, de quo summa prorsus praedicari audierat. Ut vidit Castellius Borellium magna de eo statim auguratus est. Etenim in hujus viri mente Philosophiae natura quaedam, quod de Isocrate in extrema Phaedri pagina praedicavit Socrates, inesse illi videbatur, adeo feliciter recondita quaeque assequebatur. Sunt qui tradunt Jo. Alphonsum, ut Epicurum, gloriari potuisse se magistrum habuisse nullum. Verum si hos latuere monumenta, quae nobis videre contigit, id certe latere non debebat, Borellium ipsum in libro *de motionibus naturalibus a gravitate pendentibus* (1) aliisque in locis Castellium praeceptorem nominasse suum. Non ignorabant Messanenses quam gravi judicio, quanto labore, & quam prospero successu se exercuisset Borellius in verissimo genere philosophandi. Itaque ultro ei detulerunt munus docendi mathematicas disciplinas in patria Academia, quod libentissime ab eodem susceptum est. Neque hic constitit Messanensium liberalitas in Borellium. Nam cum intelligerent quan-

(1) Prop. 232.

tum civitati accessurum esset & utilitatis & ornamenti ex illius ingenio & doctrina, hujus augendae occasionem ipsi dederunt, suppeditata pecunia ex publico aerario ad iter per Italiam faciendum. Sicuti autem Plato illud suum iter Italicum suscepit, ut Pythagoraeos cognosceret, utque Pythagoraea omnia disceret, ita Borellius ad unum spectare Galilaeum videbatur, seque beatum fore putabat, si divinum virum alloqui, ejusque inventa atque cogitata prorsus cognoscere potuisset. Verum non multo post quam Florentiam venit, ille quasi quidam Deus Philosophorum octavo & septuagesimo aetatis anno mortuus est. Hujus gravissimum desiderium lenivit Borellius frequenti consuetudine Evangelistae Torricellii, Vincentii Vivianii, & aliorum, qui quasi haeredes Philosophiae relicti a Galilaeo fuere; horumque commendatione & judicio factum est, ut Borellii doctrina ad existimationem Ferdinandi II. Magni Etruriae Ducis, ejusque fratris Leopoldi dimanaret. Quo tempore Messanam redierit Jo. Alphonsus haud mihi compertum est. Illic quidem erat annis MDCXLVII & MDCXLVIII. quibus temporibus tota Sici-

lia pestilentibus febribus misere vexata fuit: Nulli pepercit Borellius labori & periculo, ut hujus mali caussam & remedium inveniret. Quae vero & diligenter observaverat, & acute excogitaverat, antequam in vulgus ederet, recitavit in Academia, quae nominabatur *della Fucina*, in qua sermones habere de rebus physicis ipse solitus erat. Placuit ei primo illorum labefactare opiniones, qui harum febrium caussam quaerebant vel in nimio aeris calore, vel in humiferis ventis, aquarumque pluviarum abundantia, vel in quorumdam astrorum conjunctionibus, posteaque suam proponens sententiam non solum verisimile, sed etiam certum existimat, aerem non nativo, sed delato infectum malo, mortiferum spiritum praebuisse animantibus. Quae de cometarum ortu & de venenis hoc loco differit Borellius talia sunt, ut illum non absuisse a communibus illorum temporum erroribus ostendant, nisi dicere velimus ipsum dare aliquid coronae voluisse. Praecipuum remedium his malis, quorum sedes erat in pulmonibus, sulphur bene arte chimica praeparatum esse invenit:

expertus etiam eſt plurimum prodeſſe vinum iis maxime aegrotis, qui illud potandi conſuetudine adamabant. Quaſi operis appendiculam eſſe voluit defenſionem Campanellae, qui febres fere omnes minime inter morbos, ſed inter morborum remedia recenſebat; ac poſtremo ſuam quamdam propoſuit ſententiam de ciborum digeſtione, quam praecipue fieri opinabatur per liquorem acrem atque acidum expreſſum e glanduloſa membrana ventriculi, ipſo ventriculo cibis repleto. Hunc liquorem comparabat Borellius menſtruo chymicho, ſummaque vi praeditum eum eſſe putabat ad cibos conterendos liquefaciendoſque. Nonnulla huic convenientia ſententiae expoſuit etiam in fine operis *de motu animalium*; & miror equidem expoſuiſſe, cum Florentiae antea vidiſſet, Malpighio, Redio, Finchio, Stenone, ipſoque Magno Duce Ferdinando praeſentibus, nullum reperiri liquorem acrem in ventriculis multorum voracium animalium, quae ad eam rem inveſtigandam fuerant diſſecta; quin immo, ut eſt apud Malpighium (1) idem Borellius ſe obſervaſſe fatetur in voracibus piſcibus li-

P 4

(1) Oper. poſthum. p. 31. 32.

quorem hujusmodi sapere oleum olivarum; in falcone vero non multum a sapore lactis differre (1). Erat quidem libenter Messanae Borellius, quod propter laudem doctrinae maximam ejus schola & domus frequentabantur juventutis flore, quodque a senatu Messanensi nobilitate aliisque singularibus praemiis donatus fuerat. Sed quamvis magna vis esset pii gratique animi in eam civitatem, quam alteram patriam nominabat Borellius, ad ipsum retinendum, majorem tamen habuit sapientiae amor ad traducendum eo, ubi ipsa Philosophia sedem domiciliumque suum posuisse videbatur. Invitatus enim fuit valde liberaliter a Ferdinando & Leopoldo Mediceis per litteras datas a Famiano Michelinio ad tradendas mathematicas disciplinas in Academia Pisana. Triremi Etrusca vectus Liburnum appulit ineunte Februario an. MDCLVI. Mos est institutumque majorum, ut qui ingrediuntur ad docendum, latinam habeant orationem, qua plerumque solent commendare illas disciplinas,

(1) Digna sunt, quae legantur observata in hanc rem a Boerhaavio & Hallerio. V. Boerhaav. praelect. Acad. vol. 1, §. 77.

quas sunt tradituri. Invitus, dolens, ac ferme coactus huic instituto paruit Borellius, qui nunquam eloquentiae, scribendique latine elegantiae se operam dedisse affirmabat; & simul querebatur a sese id exigi, quod minime exegerant aliae Academiae. Genus locutionis exile, aridum, longitudo & obscuritas orationis, vox, gestus, & omnis actio sine lepore, ac non bene firma memoria dicentis, fastidium primo, mox & strepitum irridentium commoverunt, adeo ut priusquam ad extremam orationem perveniret Borellius, illam abrumpere coactus fuerit. Detrimentum, quod acceperat in hac prima ingressione muneris, brevi sarcivit Borellius. Ut enim coepit erudire studiosam juventutem, & sermones disputationesque habere cum collegis suis, omnes aequi & intelligentes existimatores judicarunt, nemini illum in cognitione rerum mathematicarum atque philosophiae concedere. At, quod maxime faciebat auctoritatem, plurima & praeclara testimonia vel ipsi Medicei Principes Ferdinandus & Leopoldus impertiebantur Borellii praestanti doctrinae, quam multis in rebus sibi magno usui

ſore ſentiebant. Solitus erat dicere Ferdinandus ſe magnam gratiam habere Deo, quod Principatu ab eo donatus fuiſſet, maximam vero quod ſibi ingeneraverit ſingularem quemdam amorem in philoſophiam; cui cum ſatisfaceret non ſolum humaniſſima compleri voluptate, ſed etiam ali & vivere videbatur. Hinc aſſiduae inquiſitiones & inveſtigationes veri in naturalibus quaeſtionibus, hinc experimenta ad indagandas occultas naturae vias, hinc ſumptus, curae ſtudiaque in comparandis omnium phyſicarum artium inſtrumentis, hinc doctorum virorum coetus, qui in ipſis regiis aedibus habebantur. Omnino has aedes tum Ferdinandi tum Leopoldi ſtudiis Muſarum templum, Sapientiaeque domicilium factas eſſe dixiſſes; cujus rei veſtigia etiam nunc multa apparent. Apud hos Principes, qui mirifice ingeniis excellentibus, quale erat Borellii, delectabantur, magno is eſſe in honore ac pretio debebat, ejuſdemque exacui induſtria ad naturae ſcientiam magis magiſque illuſtrandam. Primum, quod coram ipſis habuit, experimentum fuit de duorum corpuſculorum natantium mutuo amplexu & fuga, de quo ſatis mul-

ta exposuit in eo libro, quem inscripsit *de motionibus naturalibus a gravitate pendentibus* (1). Risit aliquando rerum physicarum inscitiam in Athanasio Kircherio, quod ei facile persuaderi potuit, hujusmodi appulsum & repulsum sympathiae atque antipathiae unice tribuendum esse. Verum ne amplius in re tam nova admirationem faceret caussarum ignoratio, declaravit Borellius illas quaerendas esse cum in vulgatis aequilibrii legibus, tum in aqueis aggeribus natantia corpora circumdantibus, sic ut quando ipsi aggeres circa utrumque corpus vel attollerentur vel deprimerentur, mutuus appulsus fieret; contra vero repulsus, quando hic se submitterent, illic assurgerent. Quae sane explicatio quanquam minime rationem reddat unde efficiantur hi aggeres, & quare modo attollantur modo deprimantur, talis tamen est, ut ab ea, quam post agnitam Newtonianam attractionem ac repulsionem tradunt recentiores physici, non admodum abhorreat. Inter multa, quae ex Borellio saepe Ferdinandus quaerebat, mentionem aliquando fecit de observationibus habitis a

(1) Cap. IX.

Blasio Pascalio in altissimo quodam Alverniae monte, ex quibus concludi posse videbatur, minorem aeris altitudinem minorem efficere ascensum hydrargyri in tubo Torricelliano. His vocibus commotus Borellius contulit se ad illam ipsam rem pluribus experimentis comprobandam illustrandamque; quae laudando Ferdinandus animos illi addidit, ut nova instrumenta ad ponderandam aeris gravitatem excogitaret, inventumque Torricellii mirum in modum amplificaret. Jussu ejusdem Ferdinandi notabat observatione quotidiana caeli varietates, primumque omnium caussam se vidisse gloriatus est, quare altitudo hydrargyri in barometro diversa sit pro diversa caeli aut pluvii aut sereni constitutione. At in eo errasse videbitur, quod impendente pluvia aerem graviorem, illa vero delapsa, leviorem fieri existimavit (1). Obtulit etiam sese occasio Borellio ostendendi Ferdinando quam esset in chemia atque anatome excellens, quibus in disciplinis omnibus ad plures diei horas Principem scientiae cupidissimum non sine conjugis aliorumque indignatione occupatum

(1) V. lib. de Mot. nat. Propos. 115.

tenebat. At Ferdinandus si cui plus, quam Principem decet, videbatur in his studiis versari, solitus erat usurpare auream illam Ciceronis sententiam: *cum animus caelum, terras, maria, omniumque rerum naturas respexerit, eaque unde generata, quo recurrant, quando, quomodo obitura, quid in iis mortale & caducum, quid divinum aeternumque sit viderit, in hac ille magnificentia rerum, atque in hoc conspectu & cognitione naturae, Dii immortales! quam se ipse noscet, quam despiciet, quam pro nihilo putabit ea, quae vulgo dicuntur amplissima!* Atque haec studia Ferdinandi, & labores, quos ut iis satisfeceret, suscepit Borellius, nemo existimet aliquid commune habuisse cum Academia, quae dicebatur *del Cimento*. Haec enim tota Leopoldi Principis propria fuit, ab eoque instituta anno MDCLVII. quo facto ad innumerabilia Mediceae gentis in litteras merita, quod fieri jam non posse homines arbitrabantur, maximus cumulus accessit. Omnes sciunt quam multa & quam magna, quae in perpetua naturae obscuritate antea latuerant, patefecerit illa Academia, quae contemplans verissimum illud comperio, quod ait Sophocleus Aiax: *longum*

& immensum tempus multa promere ignota, at nihil quidquam esse, quod sperare non possis. Omnino magnum opus, quod Galilaeus, hujusque discipuli instituerant, illa perfecisse videtur. Physicos enim docuit hypotheses, quas *cerebella hominum & potentes nugas* merito appellavit Rogerus Baco, a se rejicere, nihil tribuere auctoritati, & geometria & experientia facem praeferentibus, in abditiores naturae recessus recta & tuta via penetrare. Quoniam vero homines ab ipsis experimentis in errorem induci possunt (infinita enim propemodum sunt & minima, quae in illis capiendis praecaveri atque adhiberi debent, quaeque vel ipsos sagacissimos indagatores interdum effugiunt) mira diligentia, acumine atque prudentia fuisse oportet Academicos Florentinos, cum quae prolata ab ipsis in publicum fuerunt, omnes semper firma rataque habuerint. Atque hae laudes, magnificae illae quidem & singulares, mágna ex parte redundant ad Borellium, qui ex illorum Academicorum numero fuit, primasque inter illos tenuit, non gradu aliquo honoris, sed perspicacia atque felicitate in vestiganda natura. Pridie quam

illorum coetus haberentur (habebantur autem non ſtatis quibuſdam temporibus, ſed quando commodum erat Leopoldo) conveniebant Borellius, Carolus Rinaldinius, & Antonius Oliva omne inſtrumentum adparaturi ad experimenta facienda. Prima Academicorum tentamina magis eo ſpectarunt, ut res ab aliis propoſitas affirmataſque examinarent, quam ut novas ipſi quaererent, ne quis umbram veritatis pro veritate ſumeret, utque omnes diſcerent, remota auctoritate, re & ratione ipſam veritatem exquirendam eſſe. Cumque audiviſſet Borellius Galilaeum in ea fuiſſe ſententia, ut crederet aquam, dum conglaciat, rarefieri, voluit id multis experimentis comprobare, quae relata ſunt in librum experimentorum Academiae. Putavit etiam Borellius poſſe ſe plures cauſſas hujus effectus afferre, quas ſi quis noſcere cupiat illum delegamus ad volumen litterarum a doctis quibuſdam viris ad Leopoldum Principem miſſarum, quod a nobis in vulgus eſt editum (1). Ex allatis cauſſis ea tunc Borellio magis arriſiſſe videtur, quam in aquearum particularum

(1) Pag. 101. & ſeq.

figura se reperisse dicebat. Is nempe ponebat minimas aquae particulas villosis quibusdam radiolis, angulosque graduum LX. efficientibus esse praeditas, argumento praesertim ducto a nive, in qua figuram hujusmodi ante Rossettum, & Bartholinium, ceterosque qui de illa scripserunt, uno excepto Keplero, observaverat. Hos autem radiolos, qui cum ab igne penetrarentur, facile mollitie sua flectebantur comprimebanturque, eo avolante obrigere atque distendi affirmabat, quod sine aquae inflatione quadam fieri non posse perspicuum est. Hanc Borellii sententiam, quam ipse postea rejecisse videtur, probabiliorem ab interni aeris explicatione afferre se posse putans (1), si conferamus cum illa, quam Meranius defendit in ea, quam *de glacie* conscripsit, dissertatione, utramque fortasse in eo congruere judicabimus, quod sit in aqua naturalis propensio ad efficiendum angulum LX. graduum, ex qua proficisci vult Meranius praecipuam caussam amplificationis ipsius aquae, dum gelu obdurescit. Post experimenta, quae ad quorumdam corporum congelationem spectant,

(1) In fine libri de mot. nat. &c.

ctant, proposuit illa Borellius, quae convincunt adversus Peripateticos nullam esse in rerum natura *levitatem*, ut ipsi nominant, *positivam*, sed omnia sua gravitate & pondere, nisi vis aliqua major impediat, in terram ferri. Quae experimenta priusquam in lucem ederentur, multos doctos viros per epistolas docuerat Borellius, qui fieri possit ut in tubo ab omni aere vacuo fumus curvis lineis sese deorsum praecipitans conspiciatur. Cum vero diversorum corporum pondera ille investigaret, majora & minora comparabat sic, ut definire tentaret quantum inter se illorum genera differrent. Et quidem post multa experimenta ingeniosissime excogitata se invenisse putavit eamdem esse inter aeris & aquae pondera proportionem ac inter numeros I. & MCLXXIX. Nimis longus essem (non enim historiam sed vitam scribimus) si ex libro experimentorum Academiae Florentinae colligere vellem omnia, quae duce & auctore Borellio inventa fuerunt. Sat erit dicere plura fere ab hoc uno Academico, quam a ceteris universis collata fuisse ad illum librum conficiendum. Quod vero ipse Borellius horum multa retulerit

ſuum in opus *de motionibus naturalibus a gravitate pendentibus* merito reprehenſus eſt a Leopoldo Mediceo, quod videretur propriam habere velle eam laudem, quae cum omnibus Academicis, ex ipſius Academiae inſtituto, communis eſſe debebat. Sed erat ille ita natura comparatus: ſui praeter modum tenax; praeterea difficilis adeo & moroſus, ut ſi contra ſe diceretur, vehementius exardeſceret ſtomacho & iracundia. Non ſemel jurgio contendit cum Academicis collegis ſuis, ac praeſertim cum Vincentio Vivianio, quando ope tormentorum bellicorum experimenta inſtituta fuerunt ad ſoni propagationem, & ad projectorum corporum motum inveſtigandum, nequicquam Leopoldo conclamante, iracundias, contentiones, concertationeſque in diſputando pertinaces, indignas ſibi philoſophia videri. Fuit & alia cauſſa quae a Borellio Vivianium abalienavit. Latebant in theſauris Mediceis VII. libri Conicorum Apollonii Pergaei in arabicam linguam a quodam Abalphato Aſphahanenſi converſi, quorum priores quatuor graece ſcripti tantummodo lucem adſpexerant. Vidit aliquando Borellius hos libros

apud Leopoldum Principem ; & quamvis arabicae linguae prorſus eſſet ignarus, ex figurarum tamen forma conjicere ſe poſſe arbitratus eſt, illos aut integrum Apollonii opus eſſe, aut ejus epitomen: utrumvis eſſet, dignum opus ſe exiſtimare affirmavit latina interpretatione publicaque luce, & hoc quoque commodum poſtulare atque expectare litteras a Mediceis Principibus. Facile Leopoldus obtinuit a Magno Duce, ut aeſtate an. MDCLVIII. quod tempus vacabat Borellio a docendi munere, is Romam mitteretur, non dubitans ibi inventum iri aliquem arabicae linguae peritum, quocum Borellius, collatis ſtudiis, Apollonii interpretationem conficeret. Graviter haec tulit Vivianius, & quod Magnus Dux ſibi Borellium antepoſuerat, & quod novae ſibi cum hoc aegrimoniae occaſionem datam eſſe putabat, quaſi id in primis ſpectaſſet Borellius in hujuſmodi mandato poſtulando ſuſcipiendoque, ut ad nihilum veniret laus, quam ex ſua *Geometrica Divinatione in V. Conicorum Apollonii* merito ſibi augurabatur. In hac certe re tota erravit Vivianius, quia nihil vafre & malitioſe egit Borellius, & quia editi ab

hoc V. VI. & VII. Apollonii libri an. MDCLXI. biennio poſtquam Vivianius ediderat *Divinationem* ſuam, hujus laudi non ſolum quidquam non detraxerunt, ſed etiam plurimum addiderunt. Quatuor circiter menſibus Romae fuit Borellius, quorum tres conſumpſit in eo, quod commemoravimus, opere conficiendo. Qua in re ſocium habuit Abrahamum Echellenſem Maronitam, in quo erat quidem mirabilis cognitio arabicae linguae, ceterarumque linguarum orientalium, ſed nulla geometriae. Quapropter Borellius, ut manu veluti duceret Interpretem ſuum, cogebatur ante inſtituere, &, ut ita dicam, divinare demonſtrationes, quas idem Interpres latine reddendas ſuſcipiebat, ſicque judicare poterat recte illum reddidiſſe, quando inter ſe demonſtrationes congruebant. Augebant vero difficultatem infinita propemodum menda tum in ſententiis, tum in verbis, ac praeſertim in numeris, quibus corruptus erat codex, a quo etiam aberant puncta diacritica, quae maximi momenti ſunt non ſolum ad verborum ſenſum, ſed etiam ad ipſas litteras internoſcendas. Quare minime eſt mirandum ſi

Echellensis principio desperaverit de opere absolvendo, nec illud absolvi potuerit nisi incredibili patientia atque industria, quam duo viri sua quisque in arte perfecti in ipsum contulerunt. Neque in solo Apollonio Echellensis & Borellius constiterunt, sed etiam operam contulerunt in librum *Assumptorum* Archimedis, qui e graeco in arabicum ipse quoque conversus fuerat, eratque in extrema codicis parte. Haec omnia vero tum Apollonii tum Archimedis cogitata multis additis atque allatis de suo ita illustravit amplificavitque Borellius, ut vere de eo praedicaverit Jo. Dominicus Cassinius (1) usuram longi temporis, qua rerum mathematicarum amatores caruerunt, magnitudine & perfectione operis ipsum sarsisse. Inter haec negotium Borellio dedit Leopoldus, ut conquireret si qua Romae essent Raphaelis Magiotti scripta, repertaque aut compararet aut exscriberet. Fuerat hic vir in Galilaei intimis, adeoque praestabat litteris, ut Torricellius de eo affirmaverit (2) *sicut in plurimis aliis scientiis artibusque, ita & in ma-*

(1) Vol. I. Epist. Clar. Vir. pag. 150.

(2) Oper. geometr. de mot. gravium &c.

thematicis disciplinis neminem illi jure anteponi posse. Verum post longam conquisitionem dolenter sane retulit Borellius Leopoldo admiranda Magiotti inventa cum ipso periisse in ea, quae paullo ante Romam afflixerat, pestilentia. Nam cum illa consignasset chartae plagulis, has, perinde ac si nullius momenti res esset, concremaverant ii, qui ad purgandas domos illorum, quos pestilentia absumpserat, mittebantur. Borellius volens aliquo modo satisfacere summo desiderio, quo tenebatur Leopoldus, colligendi illustrium virorum monumenta, facile a Michaele Angelo Riccio impetravit litteras, quas ei scripserat Torricellius, ut illum doceret de barometro a se invento, utque convinceret adscensum hydrargyri in tubo prementi aeri (adversus enim hanc sententiam, ut alibi quoque monuimus, nonnulla objecerat Riccius) unice tribuendum esse. Quod vero Borellius priusquam has litteras vidisset, potuerit eamdem rem iisdem rationibus atque argumentis, quae attulerat Torricellius, comprobare, hoc summae illius, qua valuit perspicientiae in rebus physicis

teſtimonium haberi debet (1). Fuerunt & alia monumenta ingenii praeſtantiſſimorum virorum; quae ſecum Roma Florentiam aſportavit Borellius. Pertinebant haec ad amantiſſimum praeceptorem ſuum Benedictum Caſtellium, & ad motus aquarum ſcientiam, in qua is omnium fuit facile princeps. Ut vero Leopoldo oſtenderet Borellius quantum in hac quoque ſcientia proceſſiſſet, utque praeceptori, a quo ſumma acceperat, aliquid redderet, ad ſupplendum locum quemdam libri II. qui ab eo conſcriptus fuerat *della miſura del-*

(1) Haec habet Borellius in epiſtola quadam ad Leopoldum. *In queſto propoſito dirò un guſto diſpiacevole, che ho avuto vedendo una lettera della b. mem. del Torricelli diretta al Sig. Michel Angelo, nella quale accenna quella ſteſſa ragione dimoſtrativa che io trovai, perchè otturando l' inferior bocca del vaſo dell' argento vivo, e impedendo la compreſſione di tutta la regione aerea tuttavia ſi mantiene l' argento vivo nel cannello alla medeſima altezza di un braccio e quarto in circa: e per maggior mio martello adopra il medeſimo eſempio della lana conforme io eſemplificavo la coſa con molti materazzi. Alla mia venuta recherò la copia di tutte queſte lettere ſcientifiche del Torricelli per farle ſtampare, acciocchè non venga l' umore a qualche Franzeſe di pretendere anteriorità [come già mi par che ve ne ſia alcuno] ſopra queſto concetto della compreſſion dell' aria, cagione potiſſima ed indubitata del ſollevamento dell' argento vivo nel cannello.*

le acque correnti, probandum suscepit; in definienda velocitate duarum imparium aquae molium per eumdem inclinatum canalem excurrentium perpendendas esse lineas curvas, quas sectionum gravitatis centra describunt. Est in manibus hominum Borellii scriptum, de quo tamen ingenue ipse professus est, se eodem plane contentum non fuisse, quanquam magna spe ad probandum, quod intendebat, aggressus fuerit: postea se aliud prolaturum, si invenisset meliora. Sed quo citius illud quod susceperat non mediocre munus conficere posset, abdicatis a se ceteris omnibus non necessariis occupationibus, in suo absolvendo, edendoque Apollonio Pergaeo elaboravit. In quo opere quod putavit locum habere posse quatuor priores libros ipsius Apollonii, quos ut commodo discipulorum suorum inserviret, nova quadam eaque faciliori & breviori ratione exposuerat, ad hoc quoque opus expoliendum se applicavit. Quod cum ab eo audisset Leopoldus, dixit perutile quidem fore consilium, sed in aliud tempus rejiciendum. Nam haud decere arbitrabatur aliquid novae interpretationi admisceri, nisi quod

ad illam unice pertineret: posse commodo suo Borellium in universo Apollonio exponendo coarctandoque eamdem operam, quam in Euclide, collocare. Etenim ea omnia, quae Euclides CCCCLXXIII. propositionibus comprehendit, Borellius in suo *Euclide restituto* ad CCXXX. propositiones redegit, hasque, quod mirabilius est, semper intellectu faciliores, saepe etiam magis generales. In proportionum vero scientia ab longo & difficili anfractu, quo illam Euclides circumscripserat, liberanda illustrandaque praesertim insudavit, idque caussam sibi dedisse universi operis Euclidei perficiendi Auctor in praefatione narravit. Digna haec putavit Borellius, in quibus elaboraret, non modo ut ostenderet se superare omnes aequales suos cognitione geometriae, sed etiam ut sterneret viam ingredientibus ad naturae scientiam, quam idcirco densissima quadam caligine obrutam jacuisse usque ad Galilaei aetatem dicebat, quod nullum habuisset lumen mathematicarum disciplinarum. Quare si his multum Borellius attulit perspicuitatis & incrementi industria sua, multo studiosius etiam fontes illarum aperuit,

e quibus infinitae utilitates ad omnes physicas facultates dimanant. Hoc quid & quantum fuerit ii praesertim intelligent, qui Borellii libros legent, in quibus rerum maximarum; reconditiorumque notitiae geometrice expositae passim inveniuntur; quique sciunt illius opera, exemplo atque praeceptis factum, ut a Bellinio medicina, & a Malpighio anatome ad novam; ut ita dicam, vitam revocarentur. Venerat Malpighius Pisas exeunte an. MDCLVI. traditurus e superiori loco medicinam theoricam. Inita cum Borellio amicitia, vidit hic statim hominis singulare ingenium. Itaque minime tempus dimisit, & eum cohortatus est, ut excusso Peripateticorum & Galenicorum jugo; se in geometria liberoque philosophandi genere exerceret. Vix annus intercesserat ab hac cohortatione, cum Malpighius in incognitas insperatasque regiones se adductum sensit. Neque est credibile quid interesse ipsi Borellio videretur inter eum, qui tum erat, & qui anno ante fuerat. Bonis initiis ille alacrior factus nullum abire diem siniebat, quin ad Borellium veniret; educatusque in ejus disciplina toto triennio, quo Pisis

fuit, evasit perfectus medicus & anatomicus. Quare minime est mirandum si commendatione & judicio ipsius Borellii vocatus fuerit an. MDCLXII. ad tradendam Messanae medicinam, assignato ei M. centussium stipendio. At exercitationes anatomicae, quibus praeerat Borellius, non tam profuerunt Malpighio ac ceteris, qui illius domum frequentabant, quam ipsi scientiae anatomes, quae per illas non mediocriter aucta fuit. Ab hoc enim fonte profluxerunt inventa tubulorum pelvis, de quibus satis multa diximus in Laurentii Bellinii vita; praeterea observatio carnearum fibrarum cordis in modum spirae revolutarum, de quo invento loquitur Malpighius ipse in principio commentarii rerum a se gestarum; & structurae testium ex innumeris canaliculis, qualis a Claudio Auberio, qui illam primus observavit, exposita fuit in eo, quem hortatu Borellii edidit Florentiae hac de re libello, Vauclii Dathirii Bonclari nomine. Erat quidem Auberius anatomes peritus, ad quam profitendam Patavio Pisas evocatus fuit; sed doctrinae augendae occasionem illi dedit Borellius, quod eo in primis uteretur ad disse-

cauda animalia, in quibus se ceterosque anatomes studiosos, qui domum suam frequentabant, exercebat. Dum vero hae anatomicae observationes instituebantur, eo acrius exacuebat Borellius aciem oculorum ingeniique sui, quia ex eo tempore non solum animo conceperat, sed etiam inchoaverat magnum & admirandum opus *de motu animalium*, in quo tota reliqua vita insudavit. Verum, quod mireris, inventi sunt inter ipsos medicinae magistros, qui has exercitationes non solum contemnerent, sed etiam exagitarent. Cumque aliquando accidisset, ut Malpighius illos auditores cum Borellio haberet, dum partem legeret suorum dialogorum, in qua observata a sese quaedam referebat de sanguinis natura contra Galenicae medicinae dogmata, eum legentem omnes praeter Borellium reliquerunt: quare potuit idem dicere quod dixisse ferunt Antimachum Clarium poetam, cum a corona, uno excepto Platone, ipse quoque legens relictus fuisset: *legam nihilominus, Plato enim mihi unus instar est omnium*. Quid vero continerent hi Malpighiani dialogi, quantum medicinam & anatomen ii illustrarent, quae adjumenta sup-

peditaverit Borellius ad illos contexendos, & quam misere demum perierint, ex ipsius Malpighii vita a se scripta intelligi potest. Relicta, ut diximus, Academia Pisana, id in primis doluit Malpighius, quod carebat jucundissima consuetudine amici, collegae, & praeceptoris, qui se & communicando & monendo & favendo semper adjuverat. Cui incommodo detrimentoque ut subveniret, utebatur bono litterarum, & eadem fere absens quae, si coram esset, consequebatur. Verum postquam Borellius vidit Malpighium praeclaris inventis suis tantam collegisse famam, ut nemo ei par poneretur in earum rerum investigatione, quae a natura involutae videbantur, ita se gessit adversus illum, ut invidiae, cujus acres morsus ipsum vexabant, minime reprehensionem effugerit. Miserrimum est omnino suis bonis contentum non esse, & alienis invidere. Non enim omnia possumus omnes, & in magna rerum copia aliud alii natura iter aperuit. Illud vero, quod ipsa tum Borellio tum Malpighio assignasse videbatur, ita ab iis confectum est, ut merito Laurentius Bellinius alterum appellaverit *virum prodigiorum in de-*

monstrationibus, alterum *virum prodigiorum in observationibus*. Neque istam suam tam miram doctrinam in terra solum continuit Borellius, sed etiam ad supera atque caelestia transtulit, quae sibi contemplanti sola praeclara & mirabilia, cetera minima & contemptibilia videbantur. Atque huic suo in astronomiam studio quo cumulate satisfacere posset Borellius aestivis temporibus, quibus Florentiae esse solebat, Magnus Dux Ferdinandus locum ei ad habitandum opportunum attribuit prope turrim illarum aedium, ubi quondam sedem habuit Magistratus penes quem summa erat Reip. Florentinae, nec non in arce S. Miniatis, qui est prope urbis moenia excelsus locus. Neque hac re contentus Ferdinandus commodavit eidem magnum telescopium a Josepho Campanio singulari artificio elaboratum, horologium pendulo instructum, reliquamque astronomicam supellectilem. Principio Borellius sese ad Saturnum convertit, primusque Italorum *Systema Saturnium* Hugenii confirmavit, liberavitque suspicione erroris, quem illi objiciebat Eustachius Divinius, seu potius Honoratus Faber e S. J. quem Hugenius Apellem

latentem post tabulam vocabat. Ut vero hujus rei veritatem oculis subjiceret, globum annulo circumdatum ita confecit, ut is mirabiliter repraesentaret omnes annuli Saturnii phases, ejusque umbras in discum ipsius Saturni projectas, tum quas ipse observaverat, tum quas ab Hugenio aliisque illustrioribus Astronomis descriptas repererat: satis etiam ostendebatur illa machina, quantum vacillarent atque claudicarent quae venditabant oppugnatores Hugenii. Plurimum intererat ea scire, quae non tam ad astrorum scientiae incrementum, quam ad Leopoldum Principem quodammodo pertinebant. Nam quae Hugenius, ut suum *Systema* constabiliret, & quae Divinius, ut illud everteret, scripto mandaverant, delata ad ipsum Leopoldum tamquam ad patronum fuerant. Cum vero Academiae Mediceae nomine scripta an. MDCLX. ad Hugenium a Laurentio Magalotto epistola fuisset, in qua plura erant de notatis rebus in Saturno aliisque sideribus, tota hujus rei materia a Borellio suppeditata fuit. Solis & Lunae defectiones complures idem observavit, deque lunari quadam omnium nobilissima,

quae accidit XVI. Kal. Quint. an. MDCLXVI. facta ab eo descriptio edita fuit Parisiis cum notationibus Payenii (1). Sed praesertim Borellius curiosus fuit in exquirendis motibus & semita cometae, qui apparuit exeunte anno MDCLXIV., & de quo etiam libellum scripsit latens sub ficto Petri Mariae Mutoli nomine. Certi atque constantes siderum motus, & quae omni ferme tempore captae de iis sunt observationes, effecerunt ut ex omnibus physicis facultatibus nulla esset quae tam accuratam disciplinam, tamque facilem cognitionem haberet, quam astronomia. Nihilo tamen minus pars erat quaedam spectans ad cometas, quae latebat adhuc involuta obscuritate naturae, illustriorumque astronomorum de iis sententiae (nam Galilaeus ipse inter meteora illos recensebat) tam aberrabant a vero, quam a nobis aberrant ipsi cometae. In tanta obscuritate non omnia quidem videre potuit Borellius, dum suum perscrutatus est cometam. Vidit tamen nonnulla, quae

ejus

(1) *In Ephemerid. Erudit. die 6. Septemb.* De hac observatione nonnulla quoque commemorat Jo. Baptista Hamel in Hist. Regiae Scient. Acad. *Sect. III. Cap. II.*

ejus miram sagacitatem declarant, quaeque digna sunt immortali memoria & gloria. Etenim non dubitavit affirmare contra Cassinii judicium cometas non circum terram, sed circum solem planetarum more converti, moverique, contra omnium antiquorum & recentiorum astronomorum auctoritatem, per curvam lineam parabolae per quam similem (1). Id considerandi facile liquebit hujus inventi gloriam non uni Hevelio deberi, qui triennio serius hac ipsa de re cogitationes suas in medium protulit. Denique Borellius diurnam cometarum parallaxim ope observationum, quae in variis remotisque regionibus haberentur, recte posse definiri affirmavit. Praeter ea, jussu Magni Ducis, subductis calculis, derivavit ex Galilaei observationibus ephemerides Mediceorum planetarum; & aestate an. MDCLXV. nullum fere diem abire sivit, quin illorum motus positionesque contemplaretur. Quoniam vero haec contemplatio occasionem ei praesertim dedit conficiendi operis, quod inscripsit:

R

(1) Legenda est omnino epistola, quam hac de re Borellius ad Leopoldum Principem dedit. Extat in I. volumine epistolarum ad eumdem Leopoldum pag. 130. & 131.

Theoricae Mediceorum planetarum ex caussis physicis deductae, hanc veniam mihi concedendam puto, ut paullo longius rei initium repetam. Vix dum Galilaeus detexerat satellites jovis, cum cognitum est quanti id momenti esset ad definiendas locorum longitudines, & ad geographiae & rei nauticae disciplinas instaurandas. Quapropter omnes fere illorum temporum astronomi sese converterunt ad eorumdem motus indagandos, observandaque phaenomena, spe ducti posse aliquando veras illorum theorias determinari. Periescius omnium primus, opem ferente Morinio aliisque astronomis, hanc rem tentavit, sed brevi abjecit diffidens se eo, quo intendebat, posse pervenire. Rei difficultas minime quidem tardavit industriam Simonis Marii, & Jo. Baptistae Hodiernae, sed suum quisque opus adeo infeliciter confecit, ut ii fortasse melius consulturi gloriae suae fuisse videantur, si se ab ea re abstinuissent. Ex quo factum est, ut astronomiae studiosi omnia a Galilaeo & Keplero expectare viderentur. Galilaeus quidem nulli pepercit industriae, ut satis hominum expectationi faceret, & XXVII. ferme consumpsit

annos in obſervandis jovis ſatellitibus; cumque extremo tempore oculorum lumina amiſiſſet, conceſſit amico & diſcipulo ſuo cariſſimo Vincentio Rainerio notata a ſeſe, non dubitans quin opus, quod inchoaverat, ab illo perfici poſſet. Perduxit Rainerius obſervationes ſuas ad annum uſque MDCXLVIII. quo tempore ille e vita exceſſit, & cum eo perierunt, cauſſa creditur Quaeſitorum Fidei, omnes tum ipſius, tum Galilaei induſtriae fructus. Doluit in primis Borellius hanc jacturam pro ſuo ſingulari in aſtrorum ſcientiam amore; tenebaturque incredibili deſiderio, ut aliquis exurgeret, a quo tandem theorias Mediceorum planetarum haberemus. Ne magnum hoc onus ſibi imponeret obſtabat non animi, ſed corporis infirmitas, & multae ac variae, quibus erat implicatus, occupationes. Volens vero aliqua ratione ſuccurrere, & viam, ut ita dicam, commonſtrare difficillimum & longiſſimum iter ingredientibus, opus, de quo ſupra mentionem fecimus, in lucem hominum emiſit. Ut planetarum Mediceorum phaſes iis ſimillimae, quas e terra in luna conſpicimus, verique illorum motus (& duplicem quidem

motum, habent unum circa jovem, alterum circa solem cum ipso jove, quem consequuntur ut comites) cognoscantur referanturque in tabulas, necessarium esse ait Borellius fingere cogitatione nos primum ex jovis centro, deinde ex sole intueri ipsos satellites; ac postea redeuntes ad terram legibus opticis definire omnia eorumdem phaenomena, qualia nobis apparere debent pro diversa positione & motibus non solum satellitum & jovis, sed etiam terrae. Hunc terrae motum non expressit Borellius, sed adumbravit, timens iniquitatem temporum, & reminiscens Galilaei infortunia. Quod vero Jo. Dominicus Cassinius non alia processerit via quam commonstrata a Borellio, ut veros ab apparentibus satellitum motus distingueret referretque in tabulas, quas primum edidit an. MDCLXVIII. hoc maxime gloriosum ipsi Borellio fuit. Intellexit enim Cassinius posse contrario ordine ex observationibus e terra habitis inferri motus satellitum, quales e sole conspicerentur, & hac tandem via motus veros ab apparentibus secerni, & inveniri veram eorum positionem & motum, quo circum jovem versantur. Nec minus illud laudandum quod Borel-

lius analogia duce ex cognitis lunae phaenomenis perceperit satellitum orbes per ellipticas lineas ferri, illique subjectos esse inaequalitati, quam centri aequationem astronomi dicunt. Sed fortasse in eo peccavit, quod nimium tribuerit ipsi analogiae, dum joviales satellites easdem prorsus, atque lunam, pati inaequalitates sibi persuasit. Notum est enim etsi ab una & simplicissima naturae lege planetarum motus regantur, hos tamen in diversis planetis non modo diversos, sed interdum etiam contrarios esse pro diversa eorumdem planetarum positione, figura, massa atque distantia. Et quidem quarti satellitis nodi, & fortasse etiam tertii, motu versantur directo, contrario nempe atque lunares. Caussae & principia physica motus astrorum, quae Borellius exposuit, quanquam mirum illius acumen ostendunt, minime tamen commemoranda videntur, postquam Newtonus veram, cui universa natura obtemperat, legem e tenebris in lucem vocavit. Et haec quidem in prima operis parte. In secunda describit modum, quo fieri debent observationes satellitum, & inde horum theoriae elici; versaturque

maxime in vestigandis varietatibus, & inaequalitatibus latitudinum, in notandis inclinationibus orbitarum satellitum in jovis orbitam, nec non positione nodorum horumque motibus; in quibus omnibus rebus maxima porro sunt momenta ad cognoscendum tempus, quo durant eclipses, quo satelles quartus ex umbra jovis emergit, & quo demum secundi ad illam accessus, ex eademque recessus videri possunt. Utitur multis in locis Borellius observationibus suis, harumque ope invenit satellitum orbitas non solum in jovis orbitam, quod quidem facile erat inventu, sed etiam in sese mutuo inclinatas esse, cujus rei veritatem postea Cassinius probavit aliis observationibus, quod allatas a Borellio minime sufficere judicaverit. In his vero observationibus faciendis, ac praesertim in mensurandis maximis satellitum a jove digressionibus adhibuit Borellius artificium quoddam excogitatum ab Hugenio, seu potius a Candido Bono, qui multo antequam Hugenius suum vulgaret inventum, hac ipsa de re cum Borellio communicaverat. Aptatur tubo optico in communi vitrorum foco tenuissimum aeneum filum,

& ad perpendiculum cum parallelo motus diurni jovis componitur. Putavit autem Borellius posse utilius in locum fili substitui reticulum totum jovis complectens discum, traducto alio per centrum filo, quod cum linea maximarum ab ipso jove digressionum plane congruat. Idem docuit in extremo libro quae sua fuerit ratio & via in notandis declinationibus satellitum ab jovis orbita. Subductis enim calculis prius, & quidem ingeniosissime, invenit angulum, quo jovis orbita ad parallelum motus diurni jovis inclinatur: mox in communi vitrorum foco sic duo collocavit fila, ut eumdem ibidem angulum complecterentur. Merito Cassinius admonet propositam a Borellio rationem haud locum habere posse, nisi quando sol versatur in nodis orbitae jovis, quo tempore si haec e terra conspicitur, minime a recta linea recedit. Sed id non fugisse Borellium ex eo judicari potest, quod ipse affirmaverit aptissimum observationibus instituendis esse tempus, quando jupiter est acronicus, omnique latitudine caret. Videtur Cassinius nonnulla alia voluisse in Borellii li-

bro reprehendere (1): sed hunc satis superque defendunt quae in extrema leguntur pagina, quaeque hic referre juvabit. *Ex his*, inquit, *quae satis prolixe exposita sunt quilibet animadvertere poterit quam difficilis & laboriosa sit inquisitio theoricarum Mediceorum; requirentur enim exactae observationes, continuate per plures annos summa diligentia habitae, quae cum minime a me effici possint ob aetatem atque ob gracilem & infirmam corporis constitutionem, non dubito quin posteri aequi bonique consulant haec mea monita & animadversiones, quibus mediantibus poterunt jam dictas theorias reperire, praelata face, ostensaque via, qua incedendum sit, ostensisque difficultatibus omnibus, quae hujusmodi inquisitionem impediunt, & insuper quomodo possint evitari.* Inter planetas, in quos maxime oculos conjecit Borellius, fuit & venus. Cumque ad Leopoldum Principem scribens monuisset eum de quibusdam observationibus suis, ipsi praedicere se posse putavit visum iri illum planetam duobus integris diebus, qui erant XII. & XI. Kal. Majas an. MDCLXII., ante

(1) Vide librum, cujus est inscriptio: *Diverses ouvrages d'astronomie par M. Cassini a Amsterdam 1736. in 4.*

& post solis occasum. Expectavit Borellius singularem rei novitatem non sine incommodo valetudinis in altissimo prope Pisas monte. Ne vero videret, impeditum se fuisset ait a nebuloso caelo. Qua de re tota cum interrogassem hominem astrorum scientia peritissimum Monnierium, ab eo responsum sane honorificentissimum Borellio tuli, quod infra exscribere non pigebit (1). Scio etiam Borellium

(1) *M. Borelli avoit sans doute autres chose en vue que d'observer un lever & un coucher de Vénus les 21. & 22. avril, dans un temps où il avertit, à juste titre, qu'on voyoit Vénus aux mêmes jours, orientale & occidentale: puisqu'il s'est donné la peine d'aller sur une Montagne en 1662. pour y faire les observations astronomiques.*

En effet, ayant prévu ce phénomene, qui est tres curieux, & dont il est sans doute le premier auteur, n'y ayant pas d'astronomes qui en ait averti; il suffisoit de dire à l'aide du globe céleste, ou bien par le calcul, à quelle heure Vénus devoit se lever & se coucher aux 21. & 22. avril 1662. On eût bientot reconnu qu'elle se levoit long-tems avant le soleil, & qu'au contraire le soir elle se couchoit long-tems après le soleil.

La latitude de cette planete, qui étoit alors entre la terre & le soleil, & deux fois plus proche de nous que du soleil, étoit assurément très grande vere cette conjonction inférieure. Enfin cette même latitude étoit boréale; & c'est ce qui influoit extraordinairement sur son lever & son coucher.

On

aliarum errantium ſtellarum curſus progreſſioneſque notaſſe, & quoſdam Aſtronomorum emendaſſe errores de iis ſtellis, quae fixae dicuntur; quod mihi ſatis erit commemoraſſe. Ex iis obſervationibus eas, quae aut magnitudine aut novitate praeſtabiliores erant, communicabat Borellius non cum Principibus Mediceis ſolum, ſed etiam cum Academicis, qui non putabant eſſe alienum inſtitutis Academiae de rebus quoque caeleſtibus inter ſe diſſerere. Sed hi in experimentis capiendis illuſtres maxime eſſe voluerunt, quod hac unice via pro-

On pourroit conjecturer que M. Borelli vouloit employer les différences aſcenſionnelles, ou arcs des points de l'horizon, [que le crépuſcule lui faiſoit voir] pour vérifier l'effet des réfractions horizontales; ſi non pour vérifier les parallaxes de ces aſtres: on ſait que ces parallaxes ſont les plus grandes à l'horizon. J'ai extrait des Ephémerides du Marquis de Malvaſia les poſitions de Vénus & du ſoleil; mais je trouve [voyez l'Hiſt. de l'Acad. de 1753.] que ce phénomene annoncé par M. Borelli, doit ſe répéter tous les huit ans, & qu'il ſera viſible en Mars 1774. Dans ce ſiecle cy il y aurà encore plus d'avantages que dans le ſiecle précédent; car la latitude boréale de Vénus n'étoit pas tout à-fait de 6. degrés en 1661. au lieu qu'au 30. Mars 1750. elle a déja été de 7 $\frac{3}{4}$; & elle ſurpaſſerà 8. degrés vers le 25. Mars 1774.

A Paris ce 12. Novemb. 1772. Le Monnier.

hibere se posse putarent perversum illud & praeposterum philosophandi genus, quod solam rationem in consilium adhibet, & per quod in omnia naturae arcana praecipiti festinatione penetrare se posse homines confidebant. At Borellius, qui si quis unquam alius, fuit acerrimo ingenio, altissimoque animo non una palma poterat esse contentus; quare modo geometrae, modo physici, modo anatomici, modo medici, modo mechanici, modo chemici, modo astronomi, modo hydraulici gerebat personam, sicque gerebat, ut semper a capite, quod consectabatur, cuperet arcessere, & fontes, unde omnia dimanant, videre. Non semper quidem verum attigit, semper tamen magnas aperuit vias, per quas possent homines ad veritatem pervenire. Quid in tota recentiorum physica majoris aestimatur momenti ad explicanda naturae phaenomena, quam vis, ut appellant, attractionis? Quanquam inter commenta Borellius adnumeravit vim esse in natura, qua distantia corpora mutuo velut amore se traherent, sensit tamen vim quamdam, ut ille ajebat, magneticam universis materiae inesse particulis, qua si perfecte sese

contingerent, arcte adeo cohaererent, ut non sine difficultate divellerentur. Quin & gravitatis vim sic a natura inditam affirmabat corporibus, ut si non a terra attraherentur, sponte tamen sua, ingenitoque conatu quodam ad ejus centrum contenderent. Vidit nempe Borellius ea, qua valebat in rebus physicis, perspicacia vim gravitatis, cujus imperium vel in planetis agnovit, ab impulsu sane nullo, quem mirifice celebriores illius aetatis philosophi erant amplexati, pendere posse. Dum vero explicare voluit quare aqua in tubis capillaribus adscendat, quamvis veram haud assignaverit caussam, talem tamen assignavit, ut ablegata a natura attractione, nulla probabilior afferri potuisse videatur. Simul & illud ostendit, minime locum habere posse in hujusmodi phaenomeno prementem aerem, aliasque caussas, quas physici illorum temporum falso ostentabant; quod quidem maximam meretur laudem; bene enim Cicero: *omnibus fere in rebus, maxime in physicis, quid non sit dixerim*. Norunt omnes quid tribuerit Newtonus contractioni venae in mensuranda vi & quantitate effluentis aquae ex va-

se perforato, quantaeque hujus rei caussa excitatae sint controversiae inter Danielem Bernoullium, & Jacobum Riçatum. Fuerint haec gloriosa summis iis viris: at meo judicio major etiam laus Borellio debetur, quod iis ceterisque omnibus praeiverit in hac contractione venae observanda, quanquam neminem probaturum esse putem, quam ipse hujus effectus caussam rationemque attulit (1). Cetera quae de fluidis corporibus tradidit Borellius in libro *de motionibus naturalibus a gravitate pendentibus*, si cum iis conferantur, quae Newtonus suis *in mathematicis principiis*, aliique recentiores physici docuerunt, facile quivis intelliget eumdem plurimum accendisse luminis ad res occultissimas patefaciendas. Miror vero hominem tantae perspicaciae eodem ferme captum errore fuisse, quo Famianus Michelinius, ut arbitraretur aquam haud premere aeque latera ac solum alvei, per quem excurrit. Cumque iis temporibus, quibus Michelinii liber *della direzione de' fiumi* editus est, adversus hanc sententiam multa & gravia objecisset Michael Angelus Riccius, non po-

(1) In lib. *de mot. nat. a gravit. pendent. Prop. CXXX.*

tuit Borellius continere iracundiam ſuam, usque eo ut abalienati animi a Riccio, quocum veterem & ſummis ſemper cultam officiis amicitiam habebat, ſigna dederit. Cauſſam vero Borellio deſendendi Michelinium hanc fuiſſe arbitror, quod illius cogitationes ſcripto ipſe explicaverat, cum Michelinium neſcio quid impedimenti ſcriptione prohibuerit, quodque patrocinium ejuſdem tamquam legitimi tutoris Michelinius ipſe imploraverat. Porro, ut ex litteris Borrellii ad Leopoldum Principem (1) conjici poteſt, hac in re differebant inter ſe Borellii & Michelinii opiniones, quod hic nullum eſſe aquae preſſum in latera, ille vero non magnum eſſe opinabatur; & fortaſſe poſt allatas a Riccio rationes ſuſpicatus etiam eſt aquam eadem vi premere latera ac ſolum alvei, ſed neſcio quomodo nonnulli malunt eam, quam ſemel adamaverunt, ſententiam, etiam ſi ratio convellat, pugnaciſſime defendere, quam ingenue lubentibuſque animis ſe hallucinatos eſſe fateri. Magna ſane erat hominum opinio de Michelinii doctrina; multo majorem vero ipſe faciebat, quod ſe jactabat plu-

(1) Epiſt. 48. p. 127. & ſeq.

ra habere inventa non solum naturae scientiae, sed etiam hominum commodis utilissima, quae opportune se prolaturum in lucem promittebat. Verum hoc, quod jampridem factum esse oportuit, usque eo dilatum fuit, quoad gravis & mortiferus morbus (id accidit ineunte anno MDCLXV.) ipsum oppressit. Dolebat Leopoldus summum discrimen non minus vitae Michelinii, quo magistro in mathematicis disciplinis fuerat usus, quam illius inventorum; haecque ne prorsus perirent, quamvis esset tempestas perfrigida & glacies summa, Pisis Florentiam evocavit Borellium, ut aliquid, quod majoris esset momenti, e morientis voce exciperet. Hujus colloquii fructum illa unice fuisse arbitror (1), quae multo post suo nomine exposuit Borellius de ratione prohibendi a Venetiarum lacunis lutulentas aquas, quae a fluminibus in illas confluentibus deferuntur, excavandique terram, qua in dies magis opplentur. Haec relata fuere in Vol. I. operum, quae ad motum aquarum pertinent,

(1) Vide in Vol. I. Epistolarum Laurentii Magalotti, quod Florentiae typis impressum est an. 1768. epistolam ejusdem Magalotti ad Octavium Falconerium pag. 119.

& quae Florentiae primum an. MDCCXXIII. typis impressa fuere. Illa qui legerit, fortasse existimabit proposita a Borellio facile perfici potuisse cum aliqua spe prosperi eventus; at de hujusmodi rebus judicare difficile est nisi expertum. Experiri autem Veneti noluerunt, quod se assequi posse diffidebant. Nonnulla alia habemus a Borellio, quae pertinent ad aquarum scientiam. Sed hanc minime illa auxere; discipulusque magistro tantum in hac arte concedebat (nemo quidem dubitat, quin Benedictus Castellius ipsam non illustraverit modo, sed etiam, ut ita dicam, genuerit) quantum ipse reliquos superabat cognitione illarum rerum, quae observatae sunt in usu & tractatione geometriae atque mechanices. Bene profecto veteri illo Graecorum proverbio praecipitur:

Quam quisque norit artem in hac se exerceat.
His tractationibus ita studiose dabat operam Borellius, ut cum docendi laboribus, aliarumque susceptarum rerum oneribus aut omnino, aut magna ex parte esset liberatus, ad eas numquam intermissas animo se revocaret. Laetabatur vero in iis facultatibus, quarum

antea

antea supellectilem pluris aestimabat, quam possessiones reliquarum, eas jam se detexisse divitias, ut ab ipsis petere posset quidquid in studiis suis, quae ad motum animalium noscendum spectabant, concupiisset. At priusquam hoc majorum vigiliarum opus appareret, optimum factu existimavit si ei viam stravisset aliis operibus, quae universam de motu doctrinam bono in lumine collocassent. Initio scripsit *de vi percussionis*. Scribendi autem hanc ei dedit occasionem ille *afflator & animator* (sic appellabat Robertus Boyleus Leopoldum Mediceum) *omnium praeclarissimorum operum*. Jam saepe ex eo audierat Borellius Galilaeum secum queri solitum fuisse, quod summa senectute perditaque valetudine prohiberetur explicare & proferre in medium multa & mirabilia, quae de vi percussionis excogitaverat; & idcirco a se Roma Florentiam advocatum Torricellium fuisse, datumque socium ipsi Galilaeo, ne tanti viri, tantaque de re cogitata perirent. Excepit quidem Torricellius ex Galilaei sermonibus nonnulla in hanc rem, quae sunt exposita in quibusdam orationibus, quas dixit in Academia Etru-

ſcae linguae cuſtode ac moderatrice. Verum cum hae orationes tum non extarent, cumque relatum eſſet Borellio conjectura potius judicaſſe, quam demonſtrationibus probaſſe Torricellium vim percuſſionis infinitam eſſe, hanc rem ipſe tractandam ſuſcepit. Quod cum narraſſet Leopoldo, arriſit ille, *& pertexe modo*, inquit, *quod inſtituiſti: eſt enim materies digna facultate tua*. Vulgavit itaque Borellius an. MDCLXV. librum, qui inſcribitur *de vi percuſſionis*, cui quidem ita plauſum eſt, ut ipſe animum alacriorem ad res difficillimas explicandas attulerit. Principio examinat naturam motus, impetus & celeritatis projectorum corporum, ingenioſe valideque convellens opinionem illorum, qui affirmabant hujuſmodi corpora idcirco motu continuo ferri, quod ab aere, qui retro eadem urget, impellantur. Docet enim hunc motum oriri ab vi impreſſa & interna aequaliter in omnes partes mobilis corporis diſtributa; & hanc vim in uno collectam corpore ſic extendi & rarefieri, ut partim remaneat in percutiente corpore, partim in percuſſo. Quanquam difficile eſt cogitatione conſequi, qua ratione poſſit vis mo-

vens, id eſt ſimplex qualitas ab uno in aliud tranſire corpus, nihilo tamen minus laus eſt Borellii non mediocris vidiſſe tantum amittere vis percutiens corpus, quantum acquirit percuſſum, ſicque conſtituiſſe praecipuum dynamicae fundamentum. Quin immo cum pluribus in locis doceat corpus, cui ſemel inditus motus, neceſſe eſſe, niſi aliquid impediat, eadem in aeternum tempus celeritate moveri, non ignoraſſe videtur ineſſe corporibus proprietatem, ut vocant, inertiae. Ignoravit tamen reactionis principium, quod omnes ſciunt quanti momenti ſit in motus natura explicanda. Quae ipſe perſequitur de quantitate, de proprietatibus, & de proportionibus virium, quas varia percuſſionum genera inter ſe habent, & ex corporum reſiſtentiis exiſtunt, talia ſunt, ut nihil in praeteritis relinquere voluiſſe videatur. Non ab re ſunt quae cap. XIV. tractat de motu mixto ex circulari aequabili, & ex deſcenſivo accelerato (dabunt mihi veniam lectores, vel potius gratiam habebunt, quod perſpicuitatis cauſſa verbis utar interdum ſcientiae propriis, quanquam non plane latinis) centrum verſus ejuſdem circuli, quem

motum neque per circuli peripheriam, neque per parabolam, neque per helicen ejus naturae, quam putabat Fermatius, fieri probat; quo loco refellit etiam quae tanquam *demonstrationem physico-mathematicam* jactabat Ricciolius adversus telluris motum. Defensionem Fermatii suscepit Stephanus de Angelis, Riccioli vero Michael Manfredius, quorum utrique respondit Borellius duabus doctissimis epistolis, quas dedit ad Michaelem Angelum Riccium, quaeque sunt in manibus hominum. Post haec constituere nititur Borellius leges, quibus transfunditur motus in percussione corporum, neque id admodum feliciter praestat, quod ei, ut diximus, esset ignotum reactionis principium. Captus enim eodem, quo Cartesius, errore putat occursum corporis duri quamvis immobilis non posse extinguere vim percutientis, sed tantummodo illi inferre impedimentum, ne suam conficiat viam, ipsumque cogere, ut retrorsum flectat, quod idem affirmat de duobus corporibus, quae aequatis motibus sibi obviam eant. Non tamen negat motum interdum extingui posse; & revera extingui in corporibus, quod fieri

dicit quando ea in obices incidunt, qui non percutiendo reluctantur, qualis est gravitas in corporibus sursum projectis, & tenacitas partium in corporibus mollibus vel flexibilibus, & generatim resistentia quaelibet, quae ab mortua, ut recentiores physici loquuntur, vi proficiscitur. Hinc motum extingui non posse docet momento temporis, sed ad id requiri innumeros contrarios impulsus mortuae vis: quin potius in illam propendit sententiam, ut putet eamdem semper esse in natura quantitatem motus, adeo ut generatio novi motus nihil aliud sit, quam diffusio sui ipsius, & transitio ex uno in aliud corpus; extinctio vero nihil aliud sit, quam impressio motus aequalis & contrarii, cujus caussa cum semper vigeant in corpore duo contrarii conatus, videtur illud ad quietem redigi. Praeter caussam reflexi motus in corporibus duris aliam agnoscit in iis corporibus, quae ab ipso flexibilia, vulgo vero appellantur elastica. Haec enim habere dicit facultatem quamdam, ob quam ab agente corpore compressae partes, cum postea aequali vi sese iterum explicent, illud vicissim urgeant atque impellant, efficiantque ut re-

nascatur in ipso aequalis motus, & contrarius illi, qui in ipsarum partium compressione perierat. Transit inde ad motus ab interiori principio genitos, affirmatque necessario existere in rerum natura vivida quaedam & actuosa corpora, quae ex se ipsis moventur ob insitam iis a Deo virtutem, & hanc nunquam immutari, & nunquam destrui posse a contraria vi; sic ut impediri illa quidem possint, quin ex uno in alium transeant locum, minime vero ad quietem cogi. Ad hanc rem explicandam utitur Borellius exemplo hominis, qui a prora ad puppim eadem velocitate, qua navis, movetur. Is enim locum haud mutat, quamvis minime quiescat. Ab hac interna virtute semper actuosa, & ab illius repetitis ictibus caussam deducit motus uniformiter accelerati, cum prius demonstrasset quamlibet externam caussam, etsi continenter impellat corpus, non uno tamen semper tenore atque perpetuo motum illius accelerare posse. Animadvertit etiam non ab omni interno principio motum uniformiter acceleratum gigni posse, sed ab illo tantummodo, quod uno semper tenore, & unam partem versus impellit

corpus, quodque minime incumbit impulſo corpori. Poſt haec ingenioſiſſime ſane per experimenta demonſtrat grave corpus vel ſibi ipſi relictum, vel ſurſum quomodocumque projectum ſuo deſcenſus motu aequalia ſpatia aequalibus temporibus percurrere; & projectionis gravitatiſque motus, quibus unum idemque cietur corpus, integros ſic permanere, ut quiſque ſuos conſequatur effectus. Quibus poſitis, quaerit quem natura in deſcenſu corporum gravium habeat finem, atque hunc minime in eorum motu, vel in eorum acceſſione ad tellurem, ſed in quiete reperit, qua ſint in ipſo telluris centro. Hinc tranſit ad inveſtigandam cauſſam ob quam continenter idem deſcenſus acceleretur. Refutatis prius Gaſſendi aliorumque philoſophorum ſententiis, ſuas poſtea proponit. Ex his autem illam veroſimiliorem putat, quae minimas particulas gravium corporum propria quadam virtute praeditas eſſe ponit, a qua ad telluris centrum finis cauſſa, quem voluit natura, dirigantur. Haec autem virtus ſibi ſemper aequalis cum deſiderium non expleat ſuum, niſi corpore ad terrae centrum deducto, aequales novoſque

ſemper in ipſo renovat impulſus. Nemo eſt in Newtoniana philoſophia mediocriter verſatus, qui non videat in quas difficultates incurrat hujuſmodi ſententia. Nihilo tamen minus gratia habenda eſt Borellio, quod ab errore deduxerit homines, cum eos docuerit gravitatem non poſſe oriri a mechanico externo impulſu, & poſſe corpora moveri ſine contactu alterius corporis, a quo impellantur. His quaſi gradibus accedens ad praecipuum operis ſui argumentum, oſtendit tempus ſemper notari poſſe, quo in cadente corpore concepta jam velocitas minor ſit quacunque alia velocitate ab impulſu orta, exinde feliciter concludens gravitatis vim minorem ſemper eſſe qualibet vi projectionis. Praetereunda arbitror, quae Auctor parumper a propoſito digrediens tradit de magnetica attractione, quod haec dormientis potius ſomnia, quam philoſophi judicia eſſe videantur. Potius illa commemoranda forent, niſi vererer fatigare lectores, quae de mollitie, duritie, elaſticitate, & fluiditate corporum exponit; poſt quae rediens ad propoſitum, non plane ſe contentum dicit, ut probet percuſſionis vim infinitam eſ-

ſe, ratione illa, quae nititur differentiae, quae eſt inter pondus premens & percutiens corpus in figendo clavo; quapropter aliam luculentiorem afferet ab eo deductam, quod minimum quodcumque corpus impactum librae brachio attollere poteſt praegrande pondus alteri appenſum brachio, & vincere contrarium gravitatis niſum quantumvis magnum. Hinc ſapienter dilutis iis, quae objici poterant, explicandum ſuſcipit tremorem percuſſorum corporum, quem comparat pendulorum & laminarum elaſticarum vibrationibus. Id ut melius comprehendatur, intelligi jubet corpora minimis quibuſdam armillis flexibilibus, & per infinitos poros diſtinctis compoſita, quae quidem armillae per ictum alicujus corporis compreſſae, cum priſtinam figuram recuperare nituntur, alternatim producantur & contrahantur, in quo proprie tremor conſiſtit, neceſſe eſt. Rationem autem inveſtigans quare armillae in eo ſtatu compreſſionis ab externo ictu inductae non perſeverent, a corporibus mollibus corpora flexibilia diſtingui jubet. In illis partes ita transferuntur, ut ſi exempli cauſſa plumbi lamella

flectatur, cum violenter in oppositis lateribus particulae constipentur, & rarefiant, quae compressae sunt suis e locis expulsae in poros confugiant, quos aliae particulae vacuos reliquerunt; quare cum jam usquequaque eadem sit lamellae densitas, non est cur ad pristinum illum statum redire debeat aut possit. Non idem in chalybis aut vitri lamina contingit. Quanquam enim in ea sit eadem compressio & dilatatio particularum, non tamen eadem translatio fit: quapropter cum pori alicubi plus aequo coarctentur, alicubi plus aequo amplificentur, necessario consequitur, ut aer ambiens, & innumera praecipue corpuscula sua se virtute moventia aut ignea, aut lucida, aut magnetica, aut aliorum generum in corporibus ipsis insita, & per eos, de quibus loquimur, poros errantia majorem vim in angustioribus, ob majorem quam nanciscuntur oppositionem, exerceant; ex quo facile fit, ut eosdem poros rursus amplificent, atque hinc particulas ad priores contactus, & corpus ipsum ad pristinam figuram redire cogant. Quod ut confirmet ab exemplo termometri in aquam calidam immersi, in cujus

vitro eadem fere contingunt, cujuſque effectus veram explicationem ipſe primum a ſe allatam gloriabatur, ſimilitudinem transfert. Haec, quam probavit Borellius, ſententia quamvis in multas graveſque dilabatur difficultates, ob id tamen commendanda eſt, quia hoc differre corpora elaſtica ab mollibus docet, quod horum partes, contra ac ſit in illis, ab propriis nativiſque contactibus in alios prorſus aequales, & aeque validos transferantur. Cui principio ſi generalem materiae attractionem adjunxiſſet Borellius, ipſe profecto deſtinatam Newtono laudem praeripuiſſet. Idem cum obſervaſſet in gravium corporum caſu ab actione gravitatis, replicatis ictibus, valde vehementem impetum paullatim produci, nec non repetitos ictus, quanquam admodum leves, in pendulo etiam vaſto mirae cujuſdam velocitatis cauſſas eſſe poſſe, conſecutionem elicit, quae παράδοξον illi videtur, id eſt parvam eamdemque debilem vim impetus ſe ipſa majoris aliquando cauſſam eſſe. Ex rebus autem hactenus explicatis occaſionem ſumit Borellius ea tentamina corrigendi, ex quibus Gaſſendus, Merſennus, aliique inferebant,

onera ſuper trutinae lancem impoſita, & per alterius corporis in altera lance ictum elevata, eſſe in proportione impetus, quo ſit idem ictus: quo loco impetum percuſſionis, & gravitatem, aut pondus corporum non poſſe alterius alterum eſſe menſuram oſtendit. Tum alia multa promit egregia vel ut Auctores, quos diximus, vel ut Ariſtotelem convincat opinantem graviora in ipſo motu, quam in quiete evadere corpora, hoc argumento ductum, quod ſecuris magno quovis onere preſſa, non tam profunde ſubjecta corpora findat, quam impetu quodam certo agitata atque vibrata. Demonſtrat itaque Borellius nullum a motu oriri ponderis incrementum; ac demum explicat qui poſſit a ſolo gravis corporis preſſu fieri aliquando cavum in corporibus mollibus aequale illi, quod ab ictu levioris corporis fieret, quin inde inferri queat vim gravitatis aequalem eſſe vi percuſſionis. Ita opus concludit, ac monumentum aere perennius, in quo ſi errata quaedam deprehendantur, nemo tam ſit inhumanus, quin egregio Auctori non alium ſecuto magiſtrum &

ducem, quam se ipsum, ea facile condonet (1). Magnum pignus ab se rerum physicarum amatoribus datum putavit Borellius velle se persequi, & in medium proferre cetera, quae ad gravium corporum motum pertinent. Et quidem promissum exsolvit edito triennio post, cum esset Messanae, libro *de motionibus naturalibus a gravitate pendentibus*, de quo priusquam dicamus, rerum ordo postulat, ut exponamus reliqua memoria digna, quae ipse in Etruria gessit. Malpighii patrocinium suscepit adversus Jo. Finchium Britannum anatomes doctorem in Academia Pisana, qui obstinate negabat illum omnium primum vidisse in thunnis, & xiphiis, aliisque similibus piscibus nervum opticum non ex capillamentis, vel funiculis in fasciculum collectis, ut in homine & quadrupedibus, sed ex complicata quadam membrana constare. Quae exaravit Borellius pro amici defensione (non enim tum rupta aut laxata summae inter eos conjunctionis vincula erant) relata fuere in volumen, quod inscribitur: *Malpighii opera posthuma*. Hoc vo-

(1) Vide is Christiani Hugenii judicium de hoc opere in libro epistolarum ad Leopoldum Mediceum pag. 217.

lumen si quis adeat, ibi quoque plures offendet Borellii epistolas ad ipsum Malpighium datas de contagiosis febribus, quae Pisas, earumque viciniam an. MDCLXI. luctuose afflixerunt. Majorem vim habuit amor publicae incolumitatis ad cohortandum Borellium, ut propius contemplaretur tum in cadaveribus, tum in aegrotis harum febrium caussas & effectus, quam ejusdem timidus animus, quem solitus fuit in periculis ostendere, ad deterrendum. Cujus exemplum, quod ipse petiit ab Hippocrate aliisque summis viris, utinam omnes medici imitarentur, quo sic facilius in posterum aut praedici avertique possent hujusmodi morborum genera, aut saltem opportuna iis adhiberi medicamenta. Cum Pisas an. MDCLXIII. vocatus fuisset ad tradendam theoricam medicinam Carolus Fracassatius homo quidem in omni ferme re physica exercitatissimus, tantum is erat cum Borellio, quantum hujus patiebantur occupationes: iisdem studiis ita simul fruebantur, ut semper aliquid ex observatione naturae promere vellent, quod alios juvaret, & se ipsos oblectaret. Primis hujusce conjunctionis tempo-

ribus nimis fortaſſe illos exquiſiiſſe comperio; an ex uno in aliud corpus ſanguis, & per venas cibi & medicamina in ipſum corpus transmitti poſſent. Non eſt credibile quantam animalium copiam ad has aliaſque tum medicas, tum anatomicas praeſertim inveſtigationes ſecuerit Borellius totis duodecim, quibus in Etruria fuit, annis. Haec vero aliaque doctrinae adjumenta nunquam ei non ſuppeditabantur a liberalitate Magni Ducis, cui erant, raro ſane inter Principes exemplo, vivaria non ad pompam, aut voluptatem guſtus, venationis, & piſcatus, ſed ad naturae ſcientiam amplificandam. Nec ſemel accidit, ut cum delati ſibi eſſent rariores aliqui piſces, hos aut Borellio, aut Redio donaverit, ut in iis, ſi quid animadverſione dignum erat, notarent. Et quidem inter Borellii litteras ad Leopoldum Principem nonnullas inveni, quae hujuſmodi piſcium anatomicam deſcriptionem continent. An. MDCLXVI. factum eſt opera praeſertim Borellii, ut phoſphori Bononienſis conficiendi artificium, quod cum ejus inventore Helmontio interiiſſe exiſtimabatur, renovaretur. Non mediocriter enim erat ille in chemicis exerci-

tationibus versatus, quas plurimum sibi profuisse ad naturae cognitionem dicebat. Nam ut belle Franciscus Baconus: quemadmodum cujusque ingenium melius in adversis, aut in perturbatione aliqua insolita se prodit, quam dum omnia ex animo procedunt, sic naturae arcana longe facilius assequimur, cum per ignem aut alia artis subsidia illa varie vexatur, quam dum itineribus suis progreditur. Inventio vero aut occultarum aut admirabilium rerum non solum laudes, sed etiam emolumenta Borellio pariebat: saepe enim hac de caussa grandi pecunia a Magno Duce donatus est. Quanquam intelligebat Borellius se carissimum esse Mediceis Principibus, iisque inprimis debere, quod sui nominis fama non Etruriam solum, sed & remotissimas regiones peragrasset, ingenium tamen ejus inquietum & inconstans illi persuasit (1) ut Etruriam desereret, ad suosque Messanenses, a quibus invitabatur, rediret. Cujus rei veniam ut impetraret, praetexuit Pisani caeli intemperiem, cupiditatemque liberius ac tranquillius studiis suis vacandi. Invitissime Medicei Principes a se tan-

(1) Vol. I. epist. ad Leopold. pag. 135.

ſe tantum virum dimiſerunt, & Leopoldus praedixit ei, futurum tempus, quo Academiam Piſanam, Etruriamque requireret. Nihil poſtea accidit adverſi Borellio, quin hujus praedictionis dolenter ſane recordaretur; nec amplius illi licuit, quamvis efflagitaverit (1) ad ſuum priſtinum munus redire. Id autem eo mirabilius videri debet, quod ſtatim ac Borellius ex Etruria exceſſit, ſummum ejus doctrinae deſiderium conſecutum eſt, quodque multos poſtea annos ſic viguit illius nomen, ut ii ſoli in rebus phyſicis & mathematicis vere docti viderentur, qui ex ejus ſchola prodiiſſent. Fuit quidem annus MDCLXVII. Lyceo Piſano luctuoſus, ob diſceſſum non tam Borellii, quam Antonii Olivae, & Caroli Rinaldinii, qui cum ex ſententia Leopoldi primas etiam egiſſent in Academia *del Cimento* (2) videbatur haec diutius ſine tantorum virorum opera non poſſe conſiſtere. Et quidem illa non multo poſt eſſe deſiit; cujus rei hanc etiam cauſſam fuiſſe reperio, quod Leopoldus Car-

(1) Redius in epiſt. ad Bellinium, quae extat in Vol. IV. operum ejuſdem Redii edit. Venet.

(2) Epiſt. 89. Vol. I. epiſt. ad Leopold.

dinalis factus totum se ad rerum divinarum studia converterit. Messanam, quam, ut diximus, alteram patriam vocabat, cum rediisset Borellius, plurima & honorificentissima amoris testimonia accepit a civibus suis: a Jacobo vero Ruffo Francavillae, ut appellabant, Vicecomite habuit amplam domum, & amoenum ac suburbanum rus, & censum ad laute vivendum. Dederat se Ruffus Borellio ab ea aetate, qua coepit geometriae studere, & cum ipso Pisas venerat, ac quinquennium ferme vixerat elatus studio res mathematicas ac physicas noscendi. Cui desiderio suo cum satisfecisset, non putavit posse melius uti amplissimis, quae possidebat, fortunae bonis, quam si ea cum amantissimo praeceptore suo communicasset. In otio, quod Messanenses fecerunt Borellio, hoc ad animi sui fructum atque laetitiam is ducebat esse permagnum investigare si quid rarum esset, & singulare in Sicilia, quod ad naturalem historiam pertineret, & de quo ad Leopoldum Cardinalem, ut ad hominem harum rerum inprimis curiosum & intelligentem perscriberet. Hujus vero & Regiae Anglicanae Societatis, in quam erat

adſcriptus, rogatu contexendam ſuſcepit *Hiſtoriam & meteorologiam incendii Aetnei anni* 1669. quam eo, qui conſecutus eſt anno, vulgavit. Porro homini philoſopho, qui totus erat in naturae prodigiis contemplandis admirandiſque non potuit non ſumme eſſe jucundum vidiſſe

. . . . . undantem ruptis ſornacibus Aetnam
Flammarumque globos, liquefactaque volvere ſaxa.

Facta prius deſcriptione Aetnei montis, enumerationeque inſigniorum eruptionum, & rerum, quae illas comitari ſolent, convellit eorum opinionem, qui igneam materiem, qualis eſt ſulphur, nitrum & bitumen non in ipſo naſci monte, ſed aliunde per cuniculos ad illum deferri exiſtimabant. Ignem non conflictu atque tritu, ſed fermentatione, ſicuti fieri videmus in calce aqua aſperſa, ibi elici probat; quodque opus in hujuſmodi accenſione efficiat interjectus aer, & per foramina ac ſpiramenta in montis viſcera intruſus, oſtendit. Igne accenſo, terra, arena, & ſaxa partim avulſa e lateribus, partim e culmine montis decidentia, concoquuntur, atque in vitreum liquorem ope ſalium, quibus abundare montem illum ex ammoniaci ſalis copia praeſertim conjicitur,

convertuntur. Quomodo vero ea concrefcant iterum, & qui fieri poffit ut delapfa in aquofos locos vel per totum annum tenues flammas emittant; quantum ex hujufmodi eruptionibus altitudo montis minuatur; qua de cauffa extinguantur ignes renoventurque, profequitur Borellius in exftrema operis parte, ubique fpargens femina non tam phyficae, quam chemicae doctrinae. Eodem tempore, quo haec vulgavit Borellius, edidit etiam librum *de motionibus naturalibus a gravitate pendentibus*, & de quo nos faepe mentionem fecimus, & de quo homines docti judicia honorificentiffima fecerunt, quod ea traderet ad intelligendos modos & cauffas, quare corpora varie moveantur per vacuum & per liquidum, quae nemo ante Borellium attigerat. Principio operis expofita ab Archimede, Galilaeo, & Stevinio de corporibus aquae infidentibus fua quadam methodo demonftrat Borellius, & omnia ad librae leges exigere velle videtur. Convincit erroris Cartefium, qui minimas liquidorum partes nunquam quiefcere affirmabat; & adverfus Peripateticos multis argumentis & experimentis probat quiefcentem aquam preme-

re gravitate sua non tam subditam terram; quam se ipsam. Adeo enim alienum a vero esse ait, quaelibet suis in locis quiescentia corpora gravitatis vim haud exercere, ut hanc potius idcirco exerceant, quod quiescant. Dum diluere vult omnia, quae ab adversariis objiciebantur, rationem afferre necesse erat, cur urinatores aquae pondus non sentiant; eamque recte posuit in aequalitate virium, quibus totum premitur aequaliter corpus, quod argumento esse potest ipsum omnino postea desciviße a Michelinii sententia, pro qua pugnasse narravimus. Comprobata gravitate aquae & similium liquidorum corporum, convellit Aristotelis opinionem, quae scholas omnes oppleverat de *levitate positiva*, apertumque facit corpora omnia, & horum quoque elementa habere vim, qua feruntur in terrae centrum; idcirco vero sursum subvolare aerem, ignem, horumque similia corpora, quod a graviori ipsa circumdante liquido pellantur. Quanta vero illa sunt, quae flammae, fumi, & aeris inprimis proprietates explicant! Illa sequitur Borellius, quae paullo ante proposuerat in Academia *del Ci-*

mento ad comprobandum mirum aeris elaterium, affirmatque adeo comprimi & dilatari posse aerem, ut ejus moles in diversissimis hisce statibus sese habeant ut numeri I. & MM. Omnia quae ab aeris elaterio pendent phaenomena explicare se posse arbitratus est, si posuisset minimos aeris tubulos constare ex tenuissima virga ramosa, vel fascia in spiram revoluta. Sic enim facilius comprimi posse aerem, & statim sublata vi comprimente, explicari, suumque in pristinum restitui statum putabat. Excogitaverat & alias hypotheses, quas in medium affert, quasque omnes illi, quam innuimus, se posthabuisse dicit. *De attractiva* vi pluribus sic disputat, ut a physica illam procul amandandam censeat; nititurque probare omnia corpora, quae attrahi videntur, aut sponte sua, aut ab externa vi aliorum corporum, a quibus ambiuntur, impelli. Elementa illa, ex quibus aqua ceteraque constant liquida, esse ait corpora dura, inter se divisa, sphaericae similisve figurae, sic ut facile alia super alia excurrant; nec non aequali gravitatis vi praedita, qua tendant deorsum, & ad libellam

sese componant. Quodlibet vero aquae elementum subtili & brevi quadam lanugine vestitum esse dicit, quae compressa flectatur, sibique reddita subsiliat. Tali modo rationem se explicare posse putat quare in aqua nonnihil insit glutinis, & quare ipsa quibusdam liquoribus commisceri recuset. Nam aquae villi cum incidant in alterius liquoris villos ab his flectuntur, ac retrorsum impelluntur. Ex Galilaei sententia contra Aristotelem ceterosque Peripateticos demonstrat omnia gravia corpora cujusvis illa sint ponderis, magnitudinis & figurae aequali velocitate, & hac quidem non infinita, in inani descensura. In hoc etiam Galilaeum secutus est, quod gravitatem costantem esse putaret, quamvis aliter Guidoni Grandio visum sit (1). Hic enim ex propositione CLXIV. hujus, de quo loquimur, libri, colligere se posse arbitratur, docuisse Borellium gravitatem, saltem quod ad aquas pertinet, directam, ut loquuntur, distantiarum a centro terrae rationem sequi. Quantum vero liquida, in quibus moventur corpora, illam velocitatem variare possint, an-

(1) *Note al trattato del moto accelerato. V. opere del Galil. Tom. III.*

tea jactis hydrostatices fundamentis, acute satis, ut illis temporibus, persecutus est, id sibi merito dans laudi, quod hanc physices & mechanices partem omnium primus illustraverit. Nam Galilaeus ipse aliquid potius hac de re conjecisse, quam demonstrasse videtur. Ne vero aliquid operi deesset, novis argumentis errorem illorum convincit Borellius, qui corporibus omnia obsideri spatia, nullumque inane esse posse affirmabant: ac demum librum claudit suam de glaciei phaenomenis opinionem exponens, de qua supra aliquid innuimus. In toto hujus operis itinere habuit Borellius duces geometriam & experientiam, dolendumque quod his interdum hypothesis, quanquam raro, sese comitem adjunxerit. Id autem illis praesertim mirum videbitur, qui norunt omnes Academicos *del Cimento* una mente consensisse de ablegandis a physica hypothesibus: sed ego Borellio ignosco, qui habet excusationem vel temporum vel necessitatis. Susceperat enim explicandas caussas omnium rerum, quas suis vel alienis doctus experimentis didicerat *de motionibus naturalibus a gravitate pendentibus*; neque id sine ali-

quo hypothesium subsidio praestari potuisse videtur ab homine, qui praeter gravitatem, nullas alias magis generales naturae leges agnoscebat. Edito hoc libro, quanquam dies ac noctes cogitaret Borellius de absolvendo magno & arduo opere *de motu animalium*, aliquid tamen de acerrimo illo studio, quo ferme a puero fuerat incensus (solitus enim erat XIII. diei horas in litteris consumere) remisit, volens in omnium rerum abundantia solutius ac tranquillius vivere. Id exigere ab ipso videbantur provecta aetas & gracilitas corporis (sanguinem enim in adolescentia evomuerat) & imbecillitas virium, quam contraxerat praesertim ex morbo, quo non multo postquam redierat in Siciliam, conflictatus fuit. Sed ipsa oblectamenta & solatia Borellii sibi aliisque erant fructuosa. Peragravit maximam Siciliae partem monumenta antiquitatis, & quidquid esset admiratione dignum conquirens. Saepius dabat litteras de rebus physicis ad Michaelem Angelum Riccium, quocum opera Octavii Falconerii jamdiu in gratiam redierat, ad Henricum Oldenbourghium Regiae Anglicanae Societatis a commentariis,

ad Chriſtianum Hugenium, Jo. Dominicum Caſſinium, alioſque Pariſinae Academiae ſocios (erat enim in ſpe magna fore ut brevi in illorum numerum referretur) & ad Joannem Deniſium. Narrat hic ſe a Borellio inter cetera didiciſſe acriorem eſſe ſenſum ſiniſtri oculi, quam dexteri, hujuſque rei veritatem non uno experimento comprobaſſe. Collegit Borellius opuſcula quaedam mathematica Franciſci Maurolyci Abbatis Meſſanenſis, quem merito inſtauratorem mathematicarum diſciplinarum appellabat, ea mente ut in lucem ederentur. Edidit vero carmina Simeonis Raui Epiſcopi Pactenſis, quo nemo ei fuit nec amicior nec carior. Sic illum etiam adamaverant Sicelides & Etruſcae muſae, ut merito in principibus illius aetatis poetis numeretur. Ut autem corrigeretur ſi quid minus diligenter in iis carminibus eſset elaboratum, uſus eſt Borellius opera amantiſſimi diſcipuli ſui Alexandri Marchetti; quanquam & per ſe ipſum id praeſtare poterat. Nam ut ab eodem Marchetto accepimus (1) non expers fuit il-

(1) Videnda eſt Epiſtola 109. vol. 1. epiſt. ad Leopoldum. Admonendi tamen ſunt lectores ne omnia ad verita-

tem

le poeticae ſuavitatis. Gratum quoque erat Borellio praeclarae indolis adoleſcentibus, qui domum ſuam ventitabant, commonſtrare viam, quae ad philoſophiam ducit, & ut fieri ſolet (non ut ipſe dux eſſet) digitos ad fontes intendere. Celebrabatur etiam quotidie ejus domus maxima frequentia civium, ac nobiliſſimorum hominum ſplendore. Horum pleroſque ſollicitare exiſtimabatur, ut ab Hiſpanorum imperio deficerent. Sed quod hujus rei nullum erat apertum crimen, quo argui poſſet, non putabatur de tali tamque claro viro ſuſpicionibus oportere judicari. Demum ſe ipſa res aperuit anno MDCLXXIV.; cumque in conjuratorum numero Borellius haberetur, ſui peccati poenam exilio pendere debuit. Scripſit Marchettus illum poſtea ſe purgaſſe de oblato crimine; ſed ego potiſſimum Joanni Baptiſtae Caruſio, aliiſque graviſſimis rerum Sicularum Hiſtoricis credo, qui non dubitanter affirmarunt Borellii lingua, quaſi flabello ſeditionis, illam ambitioſorum hominum ſocie-

tem in illa epiſtola perſcripta fuiſſe putent. Nam Marchettus in laudandis moribus Borellii nimium amori in praeceptorem conceſſiſſe videtur.

tatem diu fuisse ventilatam. Ipse pulsus Messana, exulans atque egens Romam venit, seque ad Christinam Svecorum Reginam, tanquam ad patronam applicuit. Pro suo singulari in litteras amore Regina non modo in clientelam, sed etiam in Academiam suam excepit Borellium, non dubitans eximiam hujus doctrinam magno ei ornamento fore. Quoniam vero ipsi videbatur Borellius scientiam physices tanquam filiam osculari suam, satagebat ne maeror egestasque, neve alia res ulla illum averteret a persequendi operis *de motu animalium* studio. Tamquam vero extraordinaria pensa ab illo exigebat, ut aliquod physicum argumentum interdum de scripto exponeret in Academicorum corona. Non est tamen hoc loco praetereunda Reginae, seu potius illorum temporum levitas. Haud negabat ipsa fidem praedictionibus, notationibusque cujusque vitae, quae ex natali die, aliisque astrologicis signis fieri solebant; cumque plures sint quos suus delectat error, commisit Regina Borellio, ut oratione probandum susciperet gravem injuriam Astrologiae illos facere, qui negant inter conjecturales artes

illam adnumerandam esse. Paruit Borellius Reginae mandato; & quidem hominem summi judicii risisse arbitror, postquam intellexit plures extitisse, qui suas esse aliquid putaverint nugas. Post haec exposuit Reginae & Academicis collegis suis observata a se ineunte Sextili an. MDCLXXI. in Aetneo monte, ad quem idcirco redierat, ut praetermissa quaedam in sua *meteorologia incendii Aetnei an.* MDCLXIX. suppleret. Tum enim ad verticem montis illi adscendere minime licuerat. Notavit itaque interiores partes superni ostii, cujus ambitus est VI. millenorum passuum totas componi ex immensis marmoreis molibus ad perpendiculum sectis. Miratus est serena & tranquilla nocte caelum humidissimum, cui caussam dare putavit fumosas exhalationes, his vero fermentatam per stillantes nives, a quibus nunquam montis vertex deseritur, igneam materiam. Tantum etiam fuit frigus, ut liquor in thermometro ad XVI. usque gradum descenderet, cujus rei caussam satis probabilem se posse invenire visus est desperasse Borellius. Etsi vel minimum moveretur dum erat in montis apice, anhelitum experieba-

tur, ſic ut conſiſtere vel ſedere cogeretur. Id vero repetebat ex ſumma raritate & ſubtilitate aeris, cujus denſitatem & elaterium plurimum adjuvare motum muſculorum putabat. Tanta porro erat ſubtilitas & levitas aeris, ut in illo faſtigio hydrargyrum in barometro ad cubitum adſcenderet, quando in infimis montis radicibus ad cubitum cum dimidio adſcendebat. Qua autem ex re penderet tanta ac tam mira varietas, minime pronuntiare voluit Borellius. Inter haec Regina rem commovit nova diſſertatione dignam, qui ſcilicet eſſe potuerint apud veteres multis remorum ordinibus inſtructae naves. Res erat diu & multum quaeſita, nec quidquam certi conſtitui poſſe videbatur, quod non incurreret in magnam aliquam difficultatem. Sed quo difficilius, hoc glorioſius fuit Borellio, miro ingenii ſui acumine talem excogitaſse hujuſmodi navium aedificandarum rationem, ut nullam aliam nec veroſimiliorem, neque ingenioſiorem excogitari potuiſse fuerit creditum. Rem gratam antiquitatis praeſertim amatoribus me facturum arbitror, ſi in fine hujus commentarii totam Borellii ſententiam ipſius

verbis exponam. Exempla harum, quas commemoravi, dissertationum vidi ego Romae in Vaticana bibliotheca, & apud Religiosos homines Scholarum Piarum, nec plures mihi studiosissime inquirenti videre licuit. Noluit fortasse Borellius ullum extare monumentum ceterarum physicarum rerum, quas in Academia Christinae tractavit, quod jejune & exiliter, & ad alienae magis voluntatis nutum, aut conjecturam, quam ad suum judicium tractaverat. Narravit tamen mihi vir doctrina praeclarus Thomas Perellius, Romae dum esset, se percurrisse Borellii dissertationem, in qua & observationibus, & rationibus, non secus ac Zendrinius, & Eustachius Manfredius multo postea perfecerunt, auctam esse maris altitudinem comprobabat. Satis de his dissertationibus dictum erit, si hoc unum addam ita illas Italice scripsisse Borellium, ut si non abundans, non inops tamen, si non valde nitens, at non horrida in iis appareat oratio; tanta vero prudentia atque accuratio in inveniendis ordinandisque rebus, ut hac sola laude probari potuerint auditoribus suis. Illud etiam erat pergratum perque jucundum Chri-

stinae Reginae doceri a Borellio de caelestibus rebus, quas ipse & Adrianus Auzoutius, qui iis temporibus Romae commorabatur, pro parium studiorum conjunctione observabant; quin immo si quid novi in caelo extitisset, ipsa per se contemplari volebat. Summum istud Reginae studium in litteras litteratosque viros facile persuadebat Borellio, sibi Romae fore locum quietis tranquillitatisque plenissimum: sed illa postea consecuta sunt tempora, ut bona spes cum omnium fere rerum desperatione confligere videretur. Nam solutione a Svecis impedita, saepe accidit ut Reginae aerarium tantas in angustias venerit, ut necessariis vix sumptibus, nedum liberalibus satis esset. Ne vero partis antea copiolis frueretur Borellius perfidia fecit teterrimi famuli (etsi fortasse heri difficillimi mores illum nequiorem reddiderant) a quo non solum pecunia, sed omni pene re spoliatus fuit. Ad ceteras miserias accessit mors Leopoldi Cardinalis Medicei, quam lugere non destitit Borellius ut sibi (& certe illius opibus sustentare potuisset casus suos) utque litteris, omnibusque ingenuis artibus fatalem. His calami-

lamitatibus acceptis, ſtatuit quod reliquum vitae foret tranſigere in ſinu & domo Religioſorum hominum, qui dicuntur Scholarum Piarum, a quibus invitabatur erudiendi cauſſa alumnos in mathematicis & philoſophicis diſciplinis. In quo exequendo munere, quod plurium horarum operam quotidie fere exigebat, etſi non remiſſus fuit, tamen & Academiam Reginae frequentabat, & librum *de elementis conicis Apollonii & Archimedis breviori methodo demonſtratis* confecit, & quod jamdiu in manibus habebat *de motu animalium* opus & accuratius tractabat, & politius limabat. Quia vero laborabat Borellius non tam ut ſolveret, quod XXIV. annos ante promiſerat, ſicque tandem ea nota eſſent hominibus, quae nemo adhuc docuerat, quam ut gratus in Reginam cognoſceretur oblato ei munere, quo nullum eſſet neque nobilius, neque magnificentius, ineunte Decembri an. MDCLXXIX. laetus illi nunciavit, ſe jam eſſe paratum ad opus typis committendum. A ſe quoque omnia eſſe paratiſſima reſpondit Regina, ut res (neque ſane haec mediocris erat impenſae) pro dignitate operis conficeretur. Sed tempus, quod

exoptatiſſimae editionis fuit initium, idem fuit terminus vitae Auctoris, qui ſane doluit ſe non extremam manum potuiſſe imponere quibuſdam locis ſecundi voluminis. Totam hanc rem commendavit amori fideique amicorum, ac praeſertim Caroli Joannis a Jeſu, qui tum Sodalitatem Scholarum Piarum gubernabat. At ſicuti nemo pictor inventus eſt, qui Coae Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquit, abſolveret, ſic ea quae Borellius non perſecit propter eorum, quae perfecerat, ſummam excellentiam nemo eſt perſecutus. Multum tamen debent litterae Moderatori, quem commemoravimus, hominum Scholarum Piarum, quod ejus diligentia factum eſt, ut opus quam celerrime nitideque in lucem exierit; plurimum vero Reginae Chriſtinae, quod huic rei néceſſariam pecuniam erogaverit. Opus dividitur in partes duas, quarum prima externos, ſeu, ut loquuntur, ſpontaneos animalium motus, altera internos, ſeu neceſſarios explicat. Principio declarat Borellius muſculorum fabricam & figuram, ſpecies recenſet, uſum actionemque deſcribit, ſtudens non tam probare ſua, quam contraria redarguere. Hoc

facto, duplicem ftatuit mufculorum vim, alteram fibrarum propriam, alteram a voluntatis arbitrio pendentem, quam idcirco vitalem appellat. Quanta vero fit vis ifta vitalis, qua nedum brachium aut crus, fed totum animalis corpus fuftinetur, & ingentia pondera attolluntur & impelluntur, determinare nititur Borellius, nihilque profert quod non admirationem creet. Exempli gratia manforii hominis mufculi, qui fimul fumpti libram ponderis non fuperant, tanta vi praediti funt (eadem ferme afferit Borellius de quatuor mufculis tibiam flectentibus) ut haec aequet vim ponderis librarum D. & ultra. Intercoftales vero mufculi majorem etiam vim exercent, cum ex Borellii fententia haec proxime ad vim ponderis MLXVIII. librarum accedat. In his aliifque hujufmodi inquifitionibus illa praefertim efferunt mechanices periti, quae vectis theoriam explicant, quae tradunt modum, quo vires ipfi vecti obliquae in totidem perpendiculares converti poffint, quae pertinent ad aequilibrium virium, quae minime fint parallelae, fed quae ita dirigantur, ut per idem punctum tranfeant, & quae exponunt contra-

ctionem & vim catenarum, quae componuntur ex annulis mobilibus rhomboidalibus, in quibus diagonalis linea perpendicularis lineae suspensionis distendi aut contrahi possit. Haec catenarum hypothesis, quamvis Bernoullio aliisque haud arriserit, quod ipsa animalis corporis fabricae minus aptari possit, ex ipsa tamen maximas rei geometricae & mechanicae utilitates profluxisse nemo dubitaverit. Nullum est motionis genus sive ad gressum, sive ad natatum, sive ad volatum pertinens, cujus principia & effectus non sagacissime exquirat & explicet Borellius ex cognitis ad incognita gradum faciens, illaque omnia studens eliminare, quae errorem gignere possent. Quam opportune vero elegantes ubique proponuntur quaestiones, & ex allatis principiis solvuntur! Cur, exempli caussa, stando alternis pedibus minus defatigemur, quam dum ab ambobus pedibus simul sustentamur; quare aves commodius stent pede in uno quam homines; quare ipsae stando, ramisque arborum comprehensis absque casus periculo quiescant & dormiant; cur sex aut plurium pedum animalia aegrius stent quam quadrupe-

des; cur necessario cadere debeat equus, nisi tribus saltem eodem tempore suffulciatur pedibus; quare arte nulla fieri possit ut homo volet; quare aves & quadrupedes, minime vero homines naturali instinctu natent. Claudit Borellius priorem operis partem descriptione cujusdam machinae a se inventae, cujus ope diu sub aqua respirare posse homines putavit. Sed hanc nulli esse usui palam aperteque fecisse videtur Jacobus Bernoullius (1). Orditur Borellius II. partem ab inquisitione caussarum, ob quas musculi contrahuntur (in contractione enim praecipua & primaria illorum actio consistit) & postquam aliorum evertit sententias, suam quamdam, modeste tamen ob rei novitatem, proponit. Putat enim in musculos pro voluntatis arbitrio a cerebro succum nerveum instillari, huncque cum lympha & sanguine, a quibus perpetuo fibrae & carnes eorumdem musculorum, ut spongiae, madefiunt, sic commisceri ut simul ebulliant ac ferveant non secus ac oleum vitrioli & sal tartari, indeque inflationem, duritiem, & contractionem ipsorum musculorum

V 3

(1) Tom. I. N. IV.

nasci. Quae perpendens Boerhaavius optaré se ait ut earum rerum, quarum vim & effectum vidisse satis gloriosum erat, se ignorare caussam Borellius professus esset, aut saltem ne in illa investiganda ab anatome descivisset: *ceterum*, inquit, *quae habet de musculis sunt certissime egregia* (1). Inter multa vero praeclara omnium consensu illa admirabiliora judicantur, quae musculorum summam vim probant, quae varios ostendunt motus & actiones pro varia ipsorum figura & positione; quae tendinum usum explicant, & quae satis declarant agnovisse Borellium insidere in fibris musculorum vim quamdam illorum propriam, quam tamen minime tantam putavit, quantam esse experimenta docuerunt, postquam *irritabilitatis* nomine ipsa donata fuit. A musculorum motibus voluntariis & liberis ad naturales & necessarios transit Borellius, nihilque earum rerum omittit, quae motum cordis, &, quae ab hoc pendet, circulationem sanguinis declarare posse videantur. Cor verum esse musculum ex fibris maxime spiralibus coagmentatum affirmat; illudque propte-

(1) De Anat. Sect. IV. Cap. III,

rea ut ceteros omnes musculos, eademque de caussa inflari, tendi, ac durescere. Inflatae fibrae ac turgidae cava ventriculorum arctant, & instar praeli sanguinem in his contentum exprimunt. Hunc vero violenter adeo in arterias impelli arbitratur, ut aestimet vim cordis (quis non mirabitur tantulo visceri tantum inesse robur!) centum octoginta millia pondo. Elaborarunt & alii insignes physici Jacobus Keillius, Jurinius, Morlandius, Taborius, Daniel Bernoullius, aliique non pauci in hac indaganda mensura. Sed hi tanta sunt in varietate ac dissensione opinionum, ut magno argumento esse debeat nihil dum certi nos hac in re habere. Nec minus inter se diffident ac discordant illustriores philosophi, dum volunt aestimare quantitatem sanguinis, qui unico pulsu ex corde in aortam, & arteriam pulmonalem expellitur. Tres uncias statuit esse Borellius, paullo ultra Taborius, quinque Santorinius, Lowerus duas, Keillius unam, & semiunciam Harvejus. Spontaneis & naturalibus tertium adjungit Borellius motionum genus, quas mixtas appellat, quod scilicet & libere & naturaliter fiant. Has in-

ter praecipuum tenet locum respiratio, cujus quaenam sint caussae, quibus instrumentis & quibus fiat modis ita ille explicat, ut multa quae ad illud usque tempus fuerant incognita aperiat. Ac praesertim declarat quid agat, ac quemadmodum dilatetur thorax, quod munus, quantaque sit vis costarum, musculorum intercostalium, & diaphragmatis, quod opus efficiant musculi abdominis in violenta respiratione, quot quantasque utilitates & commoda ex sola respiratione capiant animantes, quomodo aer spiritu ducatur, quomodo in abditiores pulmonum recessus penetret, ad sanguinem transeat, & cum eo commisceatur. Commixtum sanguini aerem a suo elaterio, & a varia compressione viscerum, vasorum, carnium, membranarum, & cutis, a quibus circumdatur, motum quemdam tremulum consequi sibi fingit Borellius, hincque fieri ut sanguinis particulae illo motu, dum animal vivit, perpetuo concutiantur atque agitentur. Quo posito, expedite se explicare posse putavit, quod proposuerat Harvejus, qui fiat nimirum ut foetus secundinis exutus, si semel aerem hauserit, ne momentum quidem tem-

poris ſine eo vivere queat. Explicat & aliae res ad reſpirationem pertinentes, quae verſabantur in quaeſtione; nec ſolum perſcrutari voluiſſe omnia videtur, per quae reſpirando vivimus, ſed etiam ea, per quae ſuffocati vita privamur. Lactis & ſanguinis naturam examinat, & quaedam etiam de ſucco nerveo attingit. Sed ne ſingula perſequar, quod nimis longum eſſet, permulta ſane a Borellio conquiſita & collecta ſunt de omnibus iis rebus, quae animal gignunt, formant, conſervant, ac deſtruunt. Quam multae etiam prolatae ab eo ſunt, quamque de rebus variis maximique momenti tum in mechanica, tum in phyſica ac medicina & cauſſae cur quidque fiat, & demonſtrationes quemadmodum quaeque fiant! qua ex omni copia plurima & certiſſima argumenta ſumuntur ad totius animalis οἰκονομίαν explicandam. Nihil dico de ordine, cum omnia geometrice hoc in opere ſint diſpoſita; & quae certa & evidentia ſunt viam ſternunt ad occultorum cognitionem aſſequendam. Quapropter minime eſt mirandum ſi Boerhaavius pronuntiaverit Medicum, qui lumine tanti & prorſus *incompa-*

rabilis operis carere voluerit, illum necesse esse in tenebris degere (1). Extitit etiam in Gallia homo doctrina praestans Petrus Chirachius, qui utilem adeo hujusce operis Borellii lectionem medicinae studiosis putavit, ut novam cathedram in Academia Montis Pessulani excitandam testamento jusserit, e qua quis idem opus ex auctoritate publica explicaret (2). Quae res quamvis ad exitum minime perducta, gloriosissima tamen Borellio fuit. Quam vero magnifica & prorsus singularia illa, quae Bellinius flumen orationis aureum fundens praedicavit de rebus in libro *de motu animalium* contentis (3)! Illi ipsi qui a Borellio dissentiunt, qui illum arguunt, quod nimis tribuerit mathematicis rebus, qui in ipso *de motu animalium* opere nonnulla notarunt errata, unum tamen praeter ceteros mirantur Borellium, unum dicunt in multis tenebris erroris & inscitiae, quibus obstructa erat animalium fabrica, clarissimum lumen praetulisse; primum mechanicam & geome-

(1) *Stud. Med. Part. VII. de Anat. sect. III Cap. III.*
(2) *Histoire de l'Acad. des Sciences de l'an. 1732. p. 129.*
(3) *Discorsi d'Anatomia Disc. 1.*

triam ad medicinam adduxisse, effecisseque industria & ingenio suo singulari, ut quasi peregrinantes medici domum deducerentur. Quod ad errata vero attinet, quibus profecto non carent illius libri, facilis est defensio: angustos esse sensus, infirma hominum judicia, brevia curricula vitae, in profundo, ut Democritus ajebat, veritatem esse demersam, & nihil simul inventum & perfectum. Praeterquamquod quis est tam lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat, nusquam incurrat? Non puto autem necesse iis respondere, qui accusant Borellium, quod videatur abhorruisse a politiori quadam latine scribendi elegantia. Nam si hanc afferat rerum mathematicarum & physicarum scriptor, non asperner; si non habeat, non admodum flagitem, dummodo complectatur verbis quod vult, & dicat plane quod intelligatur. Iis potius respondebo, qui de vita & moribus Borellii sic judicant, ut ab his omnem commendationem ingenii eversam esse dicant. Fuit is quidem difficilis, morosus, invidus, ingenio inquieto, & in novas res avido; sed haec vitia magnis emendata fuere virtutibus, quae praesertim

apparuerunt in extrema aetate, postquam scilicet meditatio, ratio, aerumnae, longaque consuetudo ipsarum virtutum nervos corroboraverant, illumque docuerant, quae plerumque homines appetunt & sequuntur, perexigua & minuta esse, nullumque bonum esse cum virtute comparandum. Quoniam vero inter virtutes, tamquam sol inter astra, eminet pietas adversus Deum, hujus quanta & quam illustria signa dederit Borellius ex iis praesertim apparet, quae de illo scripta reliquit Carolus Joannes a Jesu Scholarum Piarum Praefectus, quaeque hoc loco referre juvabit. Ait enim (1): *Raro modestiae sobrietatis & aequanimitatis exemplo inter nos agebat, ut Socratem vel Platonem vel quemquam alium ex priscis illis sectarum institutoribus spirare videretur, nisi quod catholicae fidei adderet decus, in qua purissime se semper exhibuit, adeo ut quum in astronomia edocenda de systematibus oriretur sermo, quidquid alii dixerint, inquit, omittendum: ita sancta docet Ecclesia, ita credendum, idque certum in illius obsequium habendum. Ejus quo-*

(1) Vid. Praefationem Tom. I. Operis *de motu Animalium*.

que pietas in pluribus elucebat: quotidie enim sacris intererat; sanctissimae Poenitentiae & Eucharistiae Sacramenta frequenter suscipiebat, Patre Magistro Jacobo Riccio e Dominicana familia, Sacraeque Indicis Congregationis Secretario a confessionibus adhibito, quem una cum ejus germano fratre Michaele Angelo Sacrae Indulgentiarum & Reliquiarum Congregationis pariter Secretario, ut bina hujus saeculi, nedum Urbis luminaria unice & quoad scientias, & quoad mores suspiciebat. Antequam cubitum iret saepe a nostris visus genibus ante lectum flexis orationi & precibus vacare. Parvulam B. V. imaginem a lecto nunquam amoveri passus, in ea plurimum venerationis & fidei sese habere testatus: quae pauca in hoc genere insinuare duxi, ut quam felici nexu scientias catholica cum pietate conjungeret, innotescat; quibus permotus argumentis dicere saepe ejus Auditoribus solebam, eum Praeceptorem esse sortitos, qui non minus exemplo religiosis moribus esse posset, quam verbo doctrinae. Pleuritide tandem accensus mortem sibi jam imminere cognoscens, Sacramentis, omnibus pie humiliterque petitis, munitus, aliisque catholicae pietatis editis indiciis decimo octavo morbi die inter postremam occidentis an. MDCLXXIX.

& primam renascentis horam, nostris Religiosis de more adstantibus, supremasque preces legentibus, quod maximo sibi solatio esse adserebat, vitam absolvit, cujus corpus in nostra pariter Ecclesia, in qua sepulcrum elegit, & quod omni haereditate (quam etsi tenuissimam, ut ejus amoris argumentum maximam ducimus) pretiosius nobis est, conditum fuit. Haec amicus & convictor Borellii, ex quibus intelligi potest, minime ab eo, tanquam ab inerti poeta, extremum vitae actum neglectum fuisse. In eodem templo, quod est ad forum Agonale positum Borellio marmoreum monumentum fuit, in quo Paulinus a S. Josepho Religiosus homo Scholarum Piarum latine scribendi elegantia satis notus haec inscripsit:

D. O. M.
JOH. ALPHONSO BORELLIO NEAPOLITANO
PHILOSOPHO MEDICO ET MATHEMATICO
CLARISSIMO
QUI AD CATHEDRAS MESSANEN. PISANAM
ET FLORENTINAM VOCATUS
ILLUSTRIA EDIDIT OPERA GEOMETRICA
PHYSICA MECHANICA ET ASTRONOMICA
ROMAE IN ACADEMIAM CHRISTINAE
SVECORUM ET GOTORUM REGINAE

ADSCITUS ET ANNUO CENSU AUCTUS
A SCELERATISSIMO FAMULO
EXPILATA DOMO
IN AEDES SCHOLAR. PIAR.
APUD S. PANTALEONEM SE RECEPIT
UBI ALUMNOS RELIGIOSOS
IN MATHEMATICIS
STUDIIS BIENNIO INSTITUIT
HEIC ADMIRANDUM DE MOTU
ANIMALIUM OPUS
ABSOLVIT SIMUL CUM VITA
PRID. KAL. JAN.
MDCLXXX. AETATIS SUAE LXXV.
CLERICI. REG. SCHOLAR. PIAR. E. T. H.
MAGNO HOSPITI B. M. H. M. PP.

Talem exitum habuit vita Borellii, qui ob ſingularem doctrinam, celebritatemque famae majori quidem felicitate dignus ab omnibus exiſtimabatur. Itaque fecit ut vere dictum videatur: *ſui cuique mores ſingunt fortunam*.

OPERA EDITA.

Delle cagioni delle febbri maligne della Sicilia negli anni 1647. e 1748. Discorso di Gio. Alfonso Borelli Accademico della Fucina, Filosofo e Professore delle scienze mattematiche nello Studio della nobile Città di Messina, diviso in tre parti con una appendice della natura della febbre in comune; ed in fine si tratta della digestione de' cibi con nuovo metodo. In Cosenza per Gio. Batista Rosso 1649. in 12.

Euclides restitutus seu prisca geometriae elementa facilius contexta. Pisis per Franciscum Onuphrium 1658. in 4.

Apollonii Pergaei Conicorum libri V. VI. & VII. Paraphraste Abalphato Asphahanensi nunc primum editi: additus in calce Archimedis Assumptorum liber ex codicibus Arabicis manuscr. Ser. M. D. Etruriae. Abrahamus Ecchellensis Maronita in alma Urbe Linguar. Orient. Professor Latinos reddidit, Joannes Alphonsus Borellus in Pisana Academia Matheseos Professor curam in geometricis versioni contulit, & notas uberiores in universum opus adjecit. Florentiae ex typographia Josephi Cocchini 1661. in fol.

De renum usu Judicium. Extat in exercitatione Anatomica Laurentii Bellinii *de Structura & usu renum. Argentorati apud Simonem Pauli. 1664. in 8.*

Lettera del movimento della Cometa apparsa il mese di Decembre del 1664. In Pisa appresso Gio. Ferretto 1665. in. 4.

Theoria mediceorum Planetarum ex causis physicis deducta. Florentiae 1666. in 4.

De vi percussionis liber. Bononiae ex typographia Jacobi Montii 1667. in 4.

Risp-

Risposta &c. alle Considerazioni fatte sopra alcuni luoghi del libro della forza della percossa dal P. Stefano degli Angeli. In Messina 1668. in 4. Non puto commemoranda esse cetera, quae prodierunt scripta de hac controversia, quod haec Borellium, quanquam ejus defensionem susceperint, minime auctorem habeant.

Osservazione intorno alle virtù ineguali degli occhi. Extat in libro cui titulus: *Giornale de' Letterati d' Italia del 1669. pag.* 11. & in Vol. X. actorum Parisinae Scientiarum Academiae

De motionibus naturalibus a gravitate pendentibus liber. Regio Julio in officina Dominici Ferri 1670. in 4. Memoranda videtur editio Batava, quae an. 1686. confecta fuit cum hoc titulo: *Joh. Alphonsus Borellius Neapolit. Mathes. Professor de vi percussionis, & motionibus naturalibus a gravitate pendentibus, sive introductiones & illustrationes physico-mathematicae apprime necessariae ad opus ejus intelligendum de motu animalium, una cum ejusdem Auctoris Responsionibus in animadversiones Illustrissimi doctissimique Viri D. Stephani de Angelis ad librum de vi percussionis: editio prima Belgica, accurante J. Broen M. D. Leydensi. Lugduni Batavorum apud Petrum Vander Aa, 1876.*

Meteorologia Aetnea, sive historia & meteorologia incendii Aetnei an. 1669. Accessit responsio ad censuras R. P. Honorati Fabri contra suum librum de vi percussionis. Regio Julio in officina Dominici Ferri 1670. in 4.

Osservazioni dell' Eclissi lunare fatta in Roma la sera del dì 11. Gennaro 1675. Has observationes retulit Nazarius in Vol. *del Giornale de' Lett. di Roma del 1675. pag.* 34.

Elementa conica Apollonii Pergaei, & Archimedis opera, nova & breviori methodo damonstrata a Jo. Alphonso Borelli. Romae 1679. in 12.

De motu animalium Jo. Alphonsi Borellii Neapolitani matheseos Professoris opus posthumum. Pars I. & II. Romae ex typographia Angeli Bernabò 1680. in 4. Vol. II.

Discorsi sulla Laguna di Venezia, sullo Stagno di Pisa, e sopra altre cose idrostatiche. Extant in Tom. I. *della Raccolta d' Autori che trattano del moto dell' Acque. Fir.* 1723. *in* 4.

Lettere varie. Harum nonnullae ad Malpighium extant in hujus operibus posthumis, ubi extat quoque ejusdem Malpighii defensio adversus Jo. Finchium, de qua pag. 285. hujus vitae mentionem fecimus. In calce vitae Lucae Antoni Portii, quam scripsit Josephus Mosca, ediditque Neapoli an. 1765. extant novem Borellii epistolae. Multo plures vero extant in vol. 1. *delle lettere inedite d' uomini illustri*, quod prodiit in lucem Florentiae an. 1773. in 8.

Restat ut exsolvamus promissum, quod fecimus exscribendi verba Borellii, quibus sententiam suam aperuit de ratione, quam veteres secuti sunt in aedificandis navibus plurium remorum, disponendisque remigibus.

Ecco la disposizione della fabbrica da me pensata. Dobbiam prima figurarci uno scafo simile a quello d' una Galera ordinaria, ma circa la metà più corto di quella. E sia tal scafo coperto da un tavolato (non piano come si usa) ma colmo e di curvatura alquanto acuminata simile alla sezion conica detta Iperbola, il qual tavolato col-

mo chiameremo per brevità testudine. Di più ne' fianchi di tal nave tre o quattro palmi discosto dalla base della testudine sopra modiglioni grossi s' appoggino a piombo due pareti di tavola ben incatenate alte al pari della testudine. Poi le dette pareti dovranno esser forate con tre ordini di finestrini nelle triremi paralleli all' orizonte, con quattro ordini nelle quadriremi, e così appresso nelle altre con i suoi scalmi da legarci i remi, e sieno tali finestrini alternativamente disposti formando una bella ordinanza di tanti triangoli, rombi, o esagoni, nei quali ciascun finestrino venga ad esser lontano non meno di palmi cinque da quelli che li stanno d' attorno. Fatto questo si dovranno disporre ed inchiodare nei debiti luoghi dei fianchi della testudine i banchi salendo a scala, dove avran da sedere i remiganti situati con la stessa frequenza, distanza, ordine e disposizione, che hanno i detti finestrini. Resta ora da provare che in tal disposizione i remi posson esser mossi battendo l' acqua e tirati nel medesimo tempo, conservando sempre tutti i remi la situazione parallela fra di loro senza impedirsi l' un l' altro. Tutti questi vantaggi si conseguiscono in virtù della curvità della testudine, che è quella nella qua-

le consiste tutto l'artifizio di questa fabbrica. Perchè sopra tal curvità vi si possono accomodare i banchi dei remieri in molti filami incrocicchiati fra di loro, che vadano salendo a scala spezzatamente ed obliquamente verso il colmo della corsìa, con quell'istesso ordine de' triangoli ed esagoni, che formano i finestrini: da questo ne seguita che l'ordine supremo de' banchi, benchè sia più alto a perpendicolo del livello dell'acqua, che non è il sottoposto ordine, solamente due, uno, ed anche mezzo palmo, in ogni modo per l'obliquità colla quale sono situati nella curvità della testudine, vengono ad esser lontani fra di loro più di palmi 5. e perchè la stessa disposizione che hanno i banchi, l'hanno ancora i remiganti che vi seggono, e vi si muovono d'accordo nello stesso tempo, e la stessa hanno ancora le banchette dove appoggiano e pontellano i loro piedi, ed i scalmi, ed i remi che muovono. Adunque i remiganti di qualsivoglia banco, e le lor mani e piedi, e i loro remi, o stian fermi, o si muovan d'accordo, sempre avranno a star separati e discosti palmi cinque da quelli de' remieri che li stanno d'attorno, che è intervallo sufficiente a fare i remiganti il loro travaglio senza impedirsi l'un l'altro.

ANGELUS FABRONIUS

CLEMENTI SIBILIATO S. P. D.

PRofecto si aut consilia amicorum, aut quorumdam hominum jactationes ac minae me commovissent ab Alexandri Marchetti vita scribenda abstinuissem. Ecquando, mi Sibiliate, homines ineptiores tu vidisti, quam illos, qui cum tam sint nugaces, tantas commovent turbas, nisi omnia ad eorum sensum & voluntatem loquaris? Tu autem gnarus instituti mei illorum voces mihi contemnendas esse, omnesque injurias, quas ab iis accepi, veritatis & litterarum caussa liberali quadam oblivione conterendas esse putabis. Dolendum porro nos jamdudum orbatos esse rara quorumdam temporum felicitate ubi sentire quae velles, & quae sentires libere dicere licuit. Quapropter in tanta impudentia iniquorum judicum, remittendum aliquid videtur, ne omnia contendamus, ne omnia cum iracundia dicere videamur. Non propterea tamen satisfacere me posse arbitrabor iis, qui in contraria studia distracti, aut quae reprehenderis malevolentia & invidia dicta puta-

bunt, aut quae laudaveris veluti ficta pro falsis ducent. Non te praeterit extitisse qui plures in me rabiosulas, & sat insulsas vulgaverit epistolas, quasi injuriose egerim cum Marchetto, quod in iis, qui tum in Etruria geometrarum principes habebantur, ipsum non numeraverim; quod litterarum graecarum rudem atque ignarum, nec satis astronomia & physica doctum judicaverim. Ex quo nimirum documentum nobis capere licuit nihil tam odium parere quam veritatem, & necesse esse historico multorum ferre insulsitatem atque petulantiam. Quanquam non exornaverit Marchettus Etruriam iis, quas diximus, artibus ac disciplinis, multum tamen illi addidit gloriae suis poeticis scriptionibus, & Lucretii Cari praesertim Italica interpretatione, quae per universas ferme jam volitat gentes; & si quaerimus in his mitioribus litteris, quid unum excellat ex omnibus, nonnullorum doctorum hominum sententia perfecto Interpreti palma danda erit. Illi quidem necesse est non verba solum, & sensa, sed vim, speciem ac pulchritudinem exprimere ejus, quem convertendum suscepit, & ita exprimere, ut omnia non alieno ac fucato, sed proprio ac nativo splendeant nitore; quod cum magni laboris, magnaeque difficultatis sit, sic tamen illa ipsa reddi debent,

perinde ac si sponte sua sub acumen styli subiissent. Cum semel inflammatus est magni Poetae animus, facile ideas creat & gignit; prudenti sinceroque judicio optimam quamque ex multis eligit, efficitque exercitatio & usus scribendi, ut non multa egeat litura. At Interpreti, nisi ille omnia lente, diligenter, & prope fastidiose examinaverit probaveritque, nihil ex sententia succedet, & cogitatione magis, quam impetu opus suum efficere debet, & ita subjicere ingenii sui motus alterius voluntati ac rationi, ut tanquam in musicis omnes sonorum tum intendens tum remittens ex alterius arbitrio persequatur gradus. Ipsa latina lingua multum quoque rei difficultatem auget. Apud populum omnium gentium dominum nihil humile & abjectum esse poterat in verbis; & ut qui altiore animo sunt nihil cogitant, proferunt, aguntque nisi quod nobile & excelsum est, sic populus ille tantam praeferebat majestatem tum actione tum lingua, ut non defuerint qui illum simillimum Diis esse putaverint. Sunt profecto servitutis signa varietates, quibus popularem sermonem a nobiliori distinguimus; & paupertas certissima est, cum aliquo indigeas dicendi modo, uti eo non posse, quia humile, & demissum esse videtur. Hinc cir-

circumlocutionum necessitas, hinc cautio & timiditas quaedam in omni re decenter exprimenda; & nemo ignorat versum praesertim debilitari in quacumque ejus sit parte titubatum, aut si sermo longius productus fuerit. Haec & alia hujusmodi multa rationem reddere possunt, quare magna optimorum Interpretum paucitas sit semperque fuerit. Juvat tamen exemplo Marchetti, & spe magnae gloriae, & utilitatis etiam non mediocris rem tentare. Tali enim modo materna lingua non solum copia rerum, sed etiam verborum augeri poterit, fietque, ut ita dicam, commercium quoddam, unde divitiae & ornamenta proficiscantur non modo ad usum, sed etiam ad decus nobilissimarum artium atque disciplinarum. Haec tecum, amicorum optime, agere libuit, non ut praeteritam culpam redimerem, quasi non satis laudis, ut quidam falso judicarunt, Marchetti interpretationi impertiverim, sed ut mentis meae cogitata prudentissimo judici exponerem. Vale.

Pisis Non. Aprilis MDCCLXXVIII.

ALEXANDER MARCHETTUS

ALphonſo Borellio Alexandrum Marchettum adjungimus ex ejuſdem diſcipulis unum, qui mediocrem geometricis ſcriptis, magnam italica poeſi gloriam ſibi comparavit. Natus is eſt Pontormi (quod oppidum a Florentia millia paſſum XVIII. diſtans maxime nobilitarunt Laborantes & Lucas Manzolii Cardinales, Jacobus egregius pictor, & Alexander noſter) XV. Kal. Mart. an. MDCXXXII. ex Angelo Marchetto, & Ludovica Bonaventuria, nobili & caſtiſſima femina, quae puerulum patre, cum vix decimum aetatis annum attigiſſet, orbatum Florentiae liberaliter educandum curavit. Humaniorum litterarum praeceptorem habuit Tamburinium Sacerdotem optimum, & magnam vel a teneris annis ſui expectationem fecit. Nihilo tamen minus Antonius illius frater natu major coegit ipſum mercaturae operam dare, ſperans per eam facilius rei familiaris jacturam, quam prodi-

gus pater fecerat, posse reparari. Dum fratri obsecundaret Alexander se continere non poterat, quin interdum aureos Italorum poetarum versus, praecipue Torquati Tassi, in memoriam revocaret, atque adeo submissa voce cantaret. Id aliquando cum apothecae magister intellexisset, graviter Alexandrum reprehendit, cum diceret calculis ad numerandum, non autem versibus opus esse. Iniquo animo tulit adolescens acerbitatem reprehensoris; cujus, occupationisque suae cum eum esset pertaesum, libere a fratre postulavit, ut ad studia litterarum iterum animum adjungere sibi concederetur. Repugnare primum Antonius, deinde juvenem dehortari, ad extremum ei morem gerere duxit aequius. Itaque ad elementa Juris civilis ediscenda Laurentio Libro eum in disciplinam tradidit. In eo studio ita profecit Alexander, ut multo libentius, quamvis occultius, ne fratri displiceret, poesi vacaret, & latinos etruscosque celebriores poetas mira quadam aviditate atque assiduitate versaret: cujus rei argumento est, quod adolescens poeta non modo non contemnendus, at omnino probandus extiterit, ut ex

multis, quae feruntur, ejusdem carminibus per id temporis exaratis cognosci facile potest. Pisas ad graviores excolendas facultates Leopoldi Medicei Cardinalis beneficio missus, contempsit & irrisit etiam lepidis quidem carminibus horridum & incultum Peripateticorum philosophandi genus. Hoc tamen cum sequi cogeretur, videbatur sibi ex servitute, quasi luce libertatis recreatus reviviscere, quoties ad musas suas se referret. Saepe etiam versus ex tempore fundebat ad lyram, quae res virorum & dignitate & doctrina principum gratiam ipsi conciliavit. Per ea tempora egregiam juvenis indolem & docile ingenium Alphonsus Borellius admiratus peculiari cura sibi excolendum suscepit, disciplinarum, quas philosophia ac mathesis complectitur, amorem eidem inspirans, optimisque praeceptis, institutisque ejus animum imbuens, quibus a servitute per Scholasticos imposita nobilissimam eam facultatem omnium laudandarum artium matrem vindicari facile posse videret Alexander, ac vindicare aggrederetur. Ita sub Alphonso Marchettus profecit, ut primum Lectoris, sicuti vocant, extraordinarii munus

magna cum laude obire, deinde Doctoris lauream consequi, postmodum anno scilicet MDDLIX. logicen docendi in eodem Pisano Lyceo provinciam sibi demandari meruerit. Quod autem non leve est ejus doctrinae in geometricis rebus argumentum, ipse Borellius tantum tribuebat Marchetto, ut elementa geometriae, quae docere ipse domi discipulos tenebatur, a Marchetto doceri curaverit, quo scilicet ipse & veteranis discipulis, & operibus perficiendis suis liberius vacare posset. Ea ratione Marchetto contigit, ut cum viros alios litterarum gloria postmodum celebratos, tum Laurentium ipsum Bellinium immortalis memoriae hominem se discipulum habuisse gloriari potuerit. Per annum integrum logicen tradens operam suam omnibus ita probavit, ut cathedram philosophiae (sic enim vocare solent) extraordinariae adeptus sit, ipsius maxime Cardinalis Medicei commendatione. Cathedram eam, nec non alteram, ad quam octo post annos traductus est, ordinariae philosophiae decem & octo tenuit annos non sine mediocri acuminis doctrinaeque gloria. Quo enim a Pisana Academia, Borellii

maxime vestigia persequens, jugum Aristotelis prorsus excuteret, multa e recentiori philosophia promere, multum experimentis, frementibus licet senioribus quibusdam, qui veluti noctuae lucem refugiebant, tribuere non dubitavit. Sub finem primi ab eo munere suscepto anni Marchettus operi manum admovit, quod primo quidem *Galilaeus ampliatus*, postea *de resistentia solidorum* inscribere maluit. Eo autem in libro cum Galilaei opinionem de solidi parabolici aequali ex omni parte resistentia, etiam cum utrinque fulcitur, confutat, tum plurima Galilaei ipsius inventis, quae ad solidorum resistentiam pertinent, addit sane curiosa, quaeque magnum usum in aestimanda trabium firmitate ad domos navesque construendas habere possunt. Eadem de re, sicuti alibi commemoravimus, tractandum susceperat Vincentius Vivianius ea mente, ut Galilaeum suum illustraret, & quantum fieri poterat defenderet, utque opus Galliarum Regi recentibus magnisque ab eo decoratus beneficiis dicaret. Itaque ut audivit se a Marchetto praeoccupatum fuisse, huncque habere jam omnia parata ad impressionem li-

bri instituendam, vehementer a Leopoldo Cardinali postulavit, ne pateretur se a Marchetto anteverti: indecorum enim se putare, quae tractata & explicata ab aliis antea fuissent, in magni Regis nomine apparere. Facile annuit Leopoldus pro suo in Vivianium studio, & facile quod postulabat obtinuit pro sua auctoritate, & singularibus in Marchettum beneficiis. Constituit tamen sex mensium spatium perficiendae rei, quo consumpto integra omnia ac libera Marchetto esse deberent. Vivianium quotidie aliud ex alio impediit ne opus absolveret: quare Marchettus librum suum in vulgus edidit an. MDCLXIX. cumque Leopoldo Cardinali nuncupavit. Extitit qui librum hunc aut omni aut magna ex parte a Borellio conscriptum fuisse affirmaret; sed veritas ipsa flagitat ut dicam, neque Marchettum ad hujusmodi opus cudendum fuisse ineptum, neque monumenta deesse, praesertim Borellii ejusdem epistolas, quibus contrarium evidenti ratione concludi facile possit. Quid vero de hoc opere senserint nonnulli doctrina praestantes homines fusiori oratione prosequitur Franciscus Marchettus in iis libris, quos

honori patris, ejus vitam defensionemque conscribens, destinavit, quique professione pietatis aut laudati aut certe excusati erunt. Dum autem tempus facultatemque memorati edendi operis praestolaretur Alexander, librum quemdam alium, quem inscripsit *Exercitationes mechanicae*, vulgavit. Visus est hic minuisse potius quam auxisse expectationem alterius libri *de resistentia solidorum*. Nihil enim in illo erat quod vel minimum adderet Aristotelis, Archimedis, Valerii, Guldinii, Galilaei aliorumque praeclaris inventis, quanquam fusius distinctius clarius & facilius haec eadem persequi se velle Auctor declaravit. Eodem tempore interpretationi poematis Lucretii Cari, quam solutis, ut nos Italici dicimus, carminibus fecit, quamque ante quadriennium inchoaverat, supremam manum admovit. Opus hoc non modo publici juris facere, sed & Cosmo III. Magno Etruriae Duci cogitavit inscribere: sed impiis Lucretii sententiis obscoenisque dictis offensus Cosmi animus, utrumque Marchetto vetuit. Quamobrem non alio modo potuit hic gloriam, cujus supra quam credibile est erat avidus, quamque ma-

ximam ex ea ſperabat interpretatione, conſequi, niſi multis amicis ſuis permiſiſſet, ut eamdem privato ſtudio ſibi exſcribendam curarent. Prodiit illa tandem in vulgus typis Londinenſibus, curante egregio poeta Paullo Rollio an. MDCCXXII., ac deinceps alii eam ediderunt typographi. Sed fatendum eſt multa eoſdem typographos in iis adornandis editionibus peccaviſſe. Non poſſumus vero non valde aſſentiri Rollio, qui nihil in poetica prodiiſſe affirmat ſuperiori ſaeculo, quod cum Lucretii interpretatione ullo modo conferri poſſit; per hanc plurimum auctam Italiae, Italicaeque linguae gloriam; non potuiſſe tantum opus niſi a philoſopho, ſummoque poeta perfici; feliciterque Marchettum eos declinaſſe ſcopulos, in quos plerique interpretum incidunt. Nam qui in eo laborant, ut latina, aut graeca verba, totidem pene italicis reddant, quod fideles interpretes haberi volunt, inepte faciunt, atque in illa nimis attenuata diligentia graviter peccant, quoniam quidem res ipſa fit obſcurior, deinde Italicae orationis dignitate cultuque deſtituta ſordeſcit: & qui horum in verbis referendis religionem

gionem improbant, putidamque appellant libertatis cujusdam & licentiae amatores, his plerumque contingit, ut dum ad ornamenta toto animo intendunt, ab ipsa sententia longius aberrent, seque potius, quam poetam, quem reddendum susceperunt, exprimant. Summa prudentia igitur summoque artificio praeditum illum esse oportet, qualis fuit Marchettus, qui medius inter has duas syrtes ita navigat, ut naufragium non faciat. Omnino imaginem similitudinemque divini ingenii Lucretii in Marchetto facile agnosces (quae dum a me proferuntur vides jam huic me condonare velle mediocria vitia, quae nimis severus Aristarchus Dominicus Lazzarinius illius interpretationi objecit) nec utrumque magis amabis, quam cum ab angusta philosophiae via, quae etiam, docente Marchetto, sit commodior, in late patentes eloquentiae campos evagantur. Principiis & finibus librorum nihil splendidius, nihil elegantius excogitari potest. Quam ad vivum pingitur in calce operis immanis illa pestilentia, quae Athenis grassata est! quam copiose atque eleganter describuntur mutuae inter Martem Veneremque

blanditiae! Religio truculento adſpectu e caeli regionibus mortalium generi minas, pericula, formidines jactans, intendens, opponens! Iphigenia, ſuperſtitione Agamemnonis patris, ad aram Dianae hoſtiarum more rapta! Corybantes circum Cybelem aera quatientes! vitia puellularum & amatorum; mala ex amore naſci ſolita; agreſtes & immanſueti primorum hominum mores; cruciatus denique illi, quos poetae apud inferos eſſe finxerunt, ſceleſtis hominibus in hac vita ingenioſiſſime accommodati! Dolendum ſane tanta ingenii lumina ab egregiis ſcriptoribus ad Epicuri potius, quam ad aliorum philoſophorum in eo, quod ad mores religionemque pertinet, illuſtrandas ſententias collata eſſe. Laetus proſpero ſucceſſu hujus interpretationis Marchettus, majora ſe jam audere poſſe putavit. Itaque hoc ſibi ſumpſit, ut Lucretium ipſum imitatus, quae veriora ſibi viderentur philoſophiae capita italico poemate exponeret. Scripſit hac de re ad Joannem Dominicum Caſſinium ſperans per eum ſe impetraturum, ut opus Ludovico Magno dedicaretur. Quanquam Caſſinius ſpem hujuſmodi minime exte-

nuavit, nec poetam, rei difficultatem illi objiciens, ab incoepto deterruit, nihilo tamen minus quod magno ardore susceptum fuerat brevi refrixit, abjectumque demum operis perficiendi consilium. Alia extant ipsius Marchetti carmina praesertim lyrica, magna quidem laude digna, quorum alia ipse, alia Franciscus filius, quaedam etiam alii in lucem ediderunt. Suavis enim ac nitida ejus elocutio fuit; scatet figuris & imaginibus ad vivum res, de quibus agit, exprimentibus; quidquid vult facile dicit, ut non invita trahi, sed sua veluti sponte fluere videatur oratio. Quoniam vero hoc loco sermo est de poeticis Marchetti scriptis, minime silentio praetereunda videtur Aeneidos Virgilii interpretatio, quam vel ab ineunte adolescentia suscepit, & ad V. usque librum perduxit; nec non παράφρασις Anacreontis, quae cum ad summam senectutem confecta ab illo fuisset, satis quidem declarat ut Anacreontis, sic Marchetti musas nunquam consenuisse. Venusta enim, elegans, poetica est; & si poetam, minime vero interpretem quaeres, non dubitabis Marchettum Regnerio, Corsinio, multoque magis Salvinio prae-

ferre. Restat ut recenseamus reliqua illius opera, quae ad rem mathematicam pertinent; & recensuisse satis erit, quia nihil continent, quod post inventa Galilaei, Torricellii, Hugenii, & Vivianii illam facultatem vel minimum auxerit. Vulgavit enim an. MDCLXXIV. libellum, qui inscribitur: *Fundamenta universae scientiae de motu uniformiter accelerato a Galilaeo Galilaei primum jacta, ab Evangelista Torricellio, aliisque celeberrimis mathematicis probabilibus rationibus confirmata, nunc vero demum evidentibus demonstrationibus stabilita ab Alexandro Marchetti &c.* & anno post libellum alium, cui titulus: *Problemata sex a Leidensi quodam geometra Christophoro Sadlerio missa; ab hoc vero Germanis Italisque Mathematicis proposita, resoluta autem ab Alexandro Marchetti.* Sed nescio quo pacto ab eo, quod propositum erat, aberravit Marchettus, qua de re cum admonitus ab amicis fuisset, novum confecit opus, quod paullo post hac inscriptione vulgavit: *Septem problematum geometrica ac trigonometrica resolutio.* Erant reliqua problemata v. (duodecim enim posuerat Batavus ille) quae rei difficultate deterritus minime attigit Marchettus. Solvit

ſamen omnia Vivianius facile eleganterque, & ad attenuandam laudem, quam ex hujusmodi ſolutione minime quaerebat, librum, quem hac de re conſcripſit, nominavit: *Diporto geometrico*. In quo ſi quis Vivianii modeſtiam putaret ſe cognoſcere, vehementer erraret. Eſt enim magni elatique animi minora contemnere, cum multo majora gignere ſe poſſe intelligit. Praeterquamquod Vivianius irridere prae ſe Marchettum volebat, cum ſe veluti per jocum perfeciſſe diceret, quod Marchettus multo ſtudio, multoque labore perficere plane non potuerat. Erant enim inter eos ſimultates ex iis ortae rebus, quas cauſſa impreſſionis libri *de reſiſtentia ſolidorum* accidiſſe paullo ſupra narravimus. Accedebat illa quoque cauſſa quod Marchettus, ut homo levis & ſuſpicax, indignabatur ſe, prout optaſſet, minime a Vivianio laudari, contraque exiſtimabat in omnibus illius de ſe dictis aliquid ſemper ineſſe malevolentiae. Num Vivianii animum malevolentia in Marchettum idcirco ſuffuſum exiſtimabimus, quod affirmaverit (1) Galilaeum, ejuſque diſcipulum Bo-

Y 3

(1) In libro qui inſcribitur: *Scienza universale delle proporzioni ec.*

naventuram Cavalerium omnium primos demonstrasse *momenta gravium proportionem habere compositam ex proportionibus ponderum & longitudinum?* Quam laudem, quod sibi, arroganter sane, vindicaret Marchettus, id minime ferendum esse putavit Vivianius, ceterique veritatis, non minus quam Galilaei studiosi. Deforme enim est de se ipso praedicare, falsa praesertim, & cum irrisione audientium imitari militem gloriosum. Abfuit tamen a Vivianii objurgatione ira, quanquam instigarent nonnulli, ne rationem Marchetti haberet. Plurima vero in hac controversia iracunde rabioseque & dixit & scripsit Marchettus; cumque ejus scripta multorum etiam in manibus essent, quae acerbiores alere potuissent inimicitias, adfuit vir optimus, pacisque amantissimus Franciscus Redius ad illas extinguendas. Summe quoque studuerunt, sed frustra, alii prudentes & graves viri, nascentes sedare discordias inter Marchettum & Guidonem Grandium, quibus caussam dedere quae hic de illo scripsit in praefatione libri *de quadratura circuli & hyperbolae*, quaeque infra referre juvabit. Historiam enim rerum mathematica-

rum non parum illuſtrant (1). Sunt etiam qui exiſtimant exacerbaſſe animum Marchetti

(1) *Nonnulli vix adducuntur ut credant praeclarum illum poetam, noſtrique Piſani Lycei mathematicum in theoremate de momentorum ratione ex ponderum & diſtantiarum rationibus compoſita, cujus inventionis gloriam ſibi adſcripſerat, cum Galilaeo, Cavalerio, Antonio Rocca, Torricellio (a quibus id ante traditum & uſurpatum oſtendit Vivianius in ſcientia univerſali proportionum) ultro conſenſiſſe; cum tamen id citra ullam plagii ſuſpicionem eventu facillimum ſuadeat obvia cuilibet ex primis vulgatiſque mechanicae principiis dictae propoſitionis deductio. Quid, ſi intelligerent, totum ejuſdem Auctoris argumentum de reſiſtentia ſolidorum, quod an. 1669. publici juris fecit, jam ante 8. annos a D. Blondello praeoccupatum fuiſſe, qui idem Galilaei ſphalma de ſolido parabolico aequalis ubique reſiſtentiae, etiam cum utrinque ſulcitur, prior detexit, & ſubrogato ſolido elliptico emendavit? Editus is liber eſt in 4. apud Franciſcum Clouſier in Aula Palatii juxta aedes Senatus Principis 1661. ſub hoc titulo:* F. B. epiſtola ad P. VV. in qua famoſa Galilaei propoſitio diſcutitur circa naturam lineae, qua trabes ſecari debent, ut ſint aequalis ubique reſiſtentiae, & in qua lineam illam, non quidem parabolicam, ut ipſe Galilaeus arbitratus eſt, ſed ellipticam eſſe demonſtratur. *Neque diverſo medio, quod magis mireris, nec admodum variis diagrammatum formis utriuſque demonſtratio procedit. Sed & in libro Regiis typis an. 1676. cui titulus:* Recueil de plufieurs traité de mathematique, *idem Blondelli Tractatus p. 60. recuditur & ſcriptus Farae Viromanduorum pridie idus Sextiles an. 1657. indicatur: tamen pag. 69. alia ejuſdem epiſtola in idem argumentum data Pariſiis 18. Julii*

in Grandium partam huic magnis operibus gloriam, ob quam intelligebat, illum ſibi deſtinari ſucceſſorem in munere docendi mathematicas diſciplinas, quod obtinuerat anno MDCLXXVII. quodque filio & diſcipulo ſuo Angelo conferri voluiſſet. Simultates eas praeter ſcripta, quae hinc atque illinc edita ſunt, haud leviter Magliabechii mala ſtudia videbantur augere; cum non aliud antiquius haberet, quam ut Grandium in Marchettum, & Marchettum in Grandium inſtigaret, ut ex litteris illius ad utrumque datis cognoſcere potui. Quae in hac controverſia ſcripſit Marchettus ad defenſionem magis commendationemque ſui

1661. *affertur, ubi ſe fatetur ante duodecim annos (adeoque an. 1649. ideſt 20. annos ante mathematici noſtri librum) elaboraſſe volumen de reſiſtentia ſolidorum, eique titulum addidiſſe: Galilaeus promotus (quod rurſus coincidit cum titulo, quem noſter mathematicus libro ſuo olim praefigendum fuiſſe monet in Praefatione,* Galilaeus ampliatus). *En ipſamet ejus verba, quae reſcribere non piget ob inſigne quod referunt Gaſſendi de Galilaeo elogium. Ayant pour ce ſujet compoſé le livre, que vous avez veu preſte a eſtre donné au public, il y a plus de douze ans, que j'appelle* Galilaeus promotus de reſiſtentia ſolidorum, *& que pouvent quelque jour eſtre mis en lumiere, ſera aſſez connoiſtre ma reconnoiſſance, & le reſpect que je porte a la memoire de ce grand homme, que notre bon ami M. Gaſſendi appelloit ordinairement le Platon de notre ſiecle.*

ſpectant, quam ad offenſionem adverſarii: in iis vero quae Grandius exaravit major acerbitas apparet, videturque inſectari & exagitare voluiſſe omnia Marchetti mathematica ſcripta, quaſi hominis in hujuſmodi diſciplinis leviter docti. Quin & alia etiam acerbiora edere cogitabat, niſi a Cenſoribus, ut ipſa poſtulabat aequitas, prohibitus fuiſſet. Sic fuit Grandius ultor injuriae, & punitor doloris ſui, quo maxime incenſus fuit, quando Marchettus coepit irridere, & accuſare etiam veluti religioni contrarium caput illud libri *de quadratura circuli & hyperbolae*, ubi Grandius docet; *eam infiniti vim agnoſcendam, ut etiam, quod per ſe nullum eſt multiplicando, in aliquid commutet, ſicut finitam magnitudinem dividendo, in nullam degenerare cogit; unde per infinitam Dei Creatoris potentiam omnia ex nihilo facta, omniaque in nihilum redigi poſſe*. Quis non mirabitur ſummos mathematicos Grandium & Eulerum tantam irridendi ſui facultatem dediſſe, cum alter lineis numeriſque mundi principium demonſtrare ſe poſſe affirmaverit, finem alter ex demonſtratis ab ſe principiis explicari poſſe indicaverit? Sed nolo plura de controver-

fiis, quas Marchettus habuit, commemorando renovare res, quarum memoriam deleri oportere arbitror; etsi non defuere nostris temporibus homines doctrina spectati, qui de iis acerrime inter se pugnarunt. Quamvis autem, quos diximus, Marchettus infensos expertus fuerit, ab aliis tamen plurimis doctis hominibus cultus est ac magnopere celebratus. Multa hujusmodi hominum testimonia studiose collegit, iisque patris vitam refersit, quam Italicae scripsit, Franciscus Marchettus, oratoris magis, quam historici partes agens. His itaque relictis, memorare sufficiat summorum hominum, qui per ea extitere tempora praesertim in Etruria, familiaritatibus eumdem floruisse; quin & frequens illi fuisse litterarum commercium cum Cardinalibus Barbarigo atque Norisio, cum Canonico Panciatico, cum Gronovio, Cavina, Montanario, Cinellio, Zeno, Trevisano, ac Vallisnerio. Illustria etiam ille tulit ab Academiis, a quibus expetitus est, & in socium cooptatus, doctrinae testimonia, & a Patavina praesertim, in qua munus docendi mathematicas disciplinas honorificentissimis sane litteris illi oblatum est. Discipulos etiam eo-

habuit, qui cum ipsi germana doctrinae gloria florerent, tum doctrinam eam haud inviti Marchetto referebant acceptam; praesertim Josephus de Papa, Joannes Vincentius Lucchesinius, Maria Selvaggia Borghinia mulier optimarum artium studiis eruditissima, Lucas Albizius, Brandaligius Venerosus, Joseph Maria Quirinius, Christophorus Verzanus, & Angelus ipsius Alexandri filius. Hunc ex Lucretia Cancellaria susceperat nobilissima femina Pistoriensi (& Pistorienses praesertim amabat, quod ab iis nobilitate donatus fuisset, quodque ex eorum urbe generosaque stirpe familiam suam profectam dicebat) quam annum agens etatis XXXIX. duxerat uxorem. Ex undecim Alexandri filiis praeter hunc etiam Josephus Cajetanus, & Franciscus ingenii integritatisque laude floruere. Vixit ad extremam senectutem, neque intellectum est quando haec obrepserit ab homine, qui semper in laboribus & in studiis poeseos, matheseos, & philosophiae vixit, spe illa sustentatus, commemorationem nominis sui non cum vitae tempore, sed cum omni posteritate adaequandam. Calculorum morbo vexatus prius, ad

extremum apoplexi correptus diem ſum obiit Pontormi, poſtrid. non. Sept. an. MDCCXIV. cum Sacramentis omnibus Chriſtianae Religionis rite ſanćteque procuratus eſſet. Fuit ille natura comis, facilis in omnes, & ab bene faciendum quibus poſſet valde propenſus: corpore autem non illo quidem infirmo, ſed tamen gracili, ſtatura mediocri, dulci claraque voce, flavo crine, caeruleis oculis, ſuavi colore, atque hilari adſpećtu, ut ii tradiderunt, qui cum ipſo verſati ſunt. Ad mortui tumulum in Aede Pontormi haec poſita legitur inſcriptio:

D. O. M.
ALEXANDRO ANGELI MARCHETTI
ET ALOYSAE BONAVENTURAE MATRONAE
FLORENTINAE FILIO
GENERIS CLARITATE ET INGENIO CONSPICUO
PHILOSOPHO POETAE AC GEOMETRAE
PRAESTANTISSIMO
PISANAE ACADEMIAE
IN QUA LVII. ANNOS PHILOSOPHIAM
ET MATHEMATICAS DISCIPLIMAS SUMMA CUM LAUDE
PROFESSUS EST
DECORI EXIMIO ET SINGULARI ORNAMENTO.
NEC NON LUCRETIAE CANCELLARIAE
NOBILISSIMAE FEMINAE PISTORIENSI
EJUSDEM SUAVISSIMAE CONJUGI
PIETATE AC PRUDENTIA SPECTATISSIMAE
JOSEPH CAJETANUS PHILOSOHIAE DOCTOR
ET FRANCISCUS JUR. CONSUL. NOBILES PISANI
ET PISTORIENSES
OPTIMIS PARENTIBUS MOESTISSIMI POSUERE
A. D. CIƆIƆCCLIV.

OPERA EDITA.

Exercitationes Mechanicae Alex. Marchetti in alma Pisana Academia Ordinariam Philosophiam publice profitentis. Pisis ex typogr. Jo. Ferretti & Thomae de Pacis 1669. in 4.

De Resistentia Solidorum Alex. Marchetti &c. Florentiae typis Vincentii Vangelisti & Petri Marini 1669. in 4.

Fundamenta universae scientiae de motu uniformiter accelerato a Galileo Galilei primum jacta, ab Evangelista Torricellio aliisque celeberrimis mathematicis probabilibus rationibus confirmata, nunc vero demum evidentibus demonstrationibus stabilita ab Alex. Marchetti &c. Pisis typis Jo. Ferretti 1672. in 4.

Problemata sex a Leidensi quodam Geometra Christophoro Sadlerio missa; ab hoc vero Germanis Italisque mathematicis proposita; resoluta autem ab Alex. Marchetti &c. Accesserunt in fine bina ejusdem Marchetti Theoremata Geometrica. Pisis typis Jo. Ferretti & Thomae de Pacis 1675. in 4. Horum Theorematum primum est: *Rectam lineam secantem alteram ex duabus parallelis, si indefinite producatur, alteram quoque secare; ex quo theoremate statim tanquam corollarium eligitur quintum Euclidis postulatum, seu, ut alii malunt, axioma decimum tertium; eas scilicet rectas lineas, quae sectae ab aliqua tertia linea duos angulos internos faciunt, qui simul sumpti sint minores duobus rectis necessario, si indefinite producantur, simul coire, & triangulum efficere.* Secundum autem theorema est: *nulla vi, quantumlibet magna, funem ita trahi, aut extendi posse, ut sit in directum constitutus.* Usus etiam hoc theoremate fuerat Galilaeus. Vide quae de his duobus theorematibus scripsit Vivianius *nel saggio di storia Fiorentina di Giovanbatista Clemente Nelli p. 37. & 38.*

Septem Problematum Geometrica ac Trigonometrica resolutio. Pisis typis Jo. Ferretti & Thomae de Pacis 1675. in 12.

Lettera, nella quale si ricerca donde avvenga che alcune Perette di vetro, rompendosi loro il gambo, tutte si stritolino: scritta già per comandamento dell' A. S. del sapientissimo e gloriosissimo Ferdinando II. Gran Duca di Toscana, e alla medesima A. S. indirizzata da Aless. Marchetti &c. in Firenze per il Vangelisti e Matini 1667. in 4. Feliciſſime quidem rem tum non bene notam explicavit Marchettus cum docuiſſet; *che l' effetto di quelle lagrime dipende, come da principal cagione, dalla durezza conferita loro da qualche tempera, alla qual durezza consegua nello spezzarle il tremito, e a quello il gagliardamente scommoversi e scompaginarsi le interne parti, e quindi al fine il totale loro stritolamento.* Addit in fine epiſtolae quaſdam hypotheſes, & illam praeſertim qua explicat, quare ligna dum comburuntur ſplendeant, a veritate plurimum abhorrentes.

Della Natura delle Comete, Lettera scritta all' Illustrissimo Signor Francesco Redi da Alessandro Marchetti Professore ordinario già di Filosofia, al presente di Matematica nell' Università di Pisa. In Firenze alla Condotta 1684. in 4. Renovat haec epiſtola ſatis notos Kepleri, Galilaei, aliorumque Aſtronomorum errores, qui in ea erant opinione, cometas motu uniformi per rectam lineam ferri, eorumque ortum repeti debere ab exhalationibus aut terrae, aut caeleſtium corporum. Admonendos etiam lectores putamus, inter obſervationes allatas a Marchetto eſſe nonnullas, quae a Caſſinianis plurimum diſtant; quod fortaſſe inſtrumentorum, quibus uſus eſt, vitio tribui debet.

Saggio delle Rime eroiche, morali, e sacre di Alessandro Marchetti Accademico della Crusca. In Firenze nella Stam-

peria di Cesare Bindi 1704. *in* 4. Extant etiam plurima Marchetti carmina in celeberrimis duabus illis Italorum carminum collectionibus, quarum una edita est Lucae an. 1709. altera Bononiae an. 1711. sed nusquam majorem Marchetti carminum copiam invenies quam in libro, qui inscribitur: *Vita e Poesie d' Alessandro Marchetti da Pistoja Filosofo e Matematico della celebre Università di Pisa fra gli Arcadi Alterio Eleo, Academico Fiorentino, e della Crusca. Venezia appresso Pietro Valvense* 1755.

Anacreonte tradotto dal testo Greco in rime Toscane da Alessandro Marchetti Academico della Crusca. In Lucca per Leonardo Venturini 1707. *in* 4.

Lettera nella quale si ribattono le ingiuste accuse date dal P. D. G. G. (Padre Don Guido Grandi) *nella seconda edizione del suo libro della Quadratura del Cerchio e dell' Iperbola &c. ad Alessandro Marchetti Ordinario Professori già di filosofia, e al presente di matematica nell' Università di Pisa scritta dal medesimo Marchetti a S. E. il Sig. Bernardo Trevisano nobile Patrizio Veneto. In Luc. per Leonardo Venturini* 1711. *in* 4.

Lettera scritta a S. E. il Sig. Bernardo Trevisano &c. da Aless. Marchetti &c. si mostra in questa esser verissimo che il R. M. Don Guido Grandi nelle seconda stampa del suo libro intitolato: Quadratura Circuli & Hyperbolae, *a mutato le parole dell' istanza e della risposta, che il medesimo Marchetti come Censore del S. Uffizio l' aveva esortato a levare dal manoscritto del medesimo suo libro la prima volta che egli lo pubblicò, e si promette di ribattere tutto ciò che contro allo stesso Marchetti viene da lui scritto nella sua Risposta apologetica &c. in Pisa nelle Stamperia di Francesco Bindi* 1713. *in* 4.

Discorso di Alef. March. &c. dedicato al sovrano merito di S. E. il Signor Bernardo Trevisano &c. Si esaminano e si ribattono le censure contenute nell' opera intitolata: Risposta apologetica del P. M. D. Guido Grandi Monaco Camaldolese contro al libro intorno alla resistenza de' corpi duri. Si scoprono varj equivoci e sbaglj presi dal detto Padre nell' impugnarlo, e con geometrica evidenza si dimostrano molti gravi ed inescusabili errori da lui commessi. In Lucca per Leonardo Venturini 1714. *in* 4.

Di Tito Lucrezio Caro della natura delle cose libri sei tradotti da Alessandro Marchetti &c. Prima edizione. Londra per Giovanni Pickard. 1717. *in* 8.

Lunario. Libellus hic editus est Lucae nomine *del Canonico Pier Leonardo Ricci*, & adversus eum scripsit Grandius libellum alium, quem inscripsit: *Antilunario di Niccolò Ripardieri, Chierico della Pieve di Montopoli.*

OPERA INEDITA.

Rime Toscane di vario genere, e argomento.

Lettere scientifiche ed altre prose Toscane.

Almagesti Claudii Ptolemaei liber primus cum commentario Theonis Alexandrini ex Graeco idiomate in Latinum translatus a Georgio Flaming nobili Hiberno cum notis & animadversionibus Alexandri Marchetti.

I IV. primi libri dell' Eneide di Virgilio. Hujus interpretationis, nec non poematis philosophici, quod inchoasse diximus, specimina quaedam leguntur in volumine XXI. *del Giornale de' letterati d' Italia*, ubi extat etiam ejusdem Marchetti vita. Si quis vero plura de eodem scire cupiat, adeat omnino *i Dialoghi del P. Grandi, e la Risposta apologetica*

di lui all' opposizioni fattegli dal Sig. Dottore A. M. in Lucca 1712.; il saggio di Storia Letteraria Fiorentina del secolo XVII. scritta in varie lettere da Giovambatista Clemente Nelli in Lucca 1759.; e la risposta apologetica dell' Avvocato Francesco Marchetti in confutazione del detto Saggio, in Lucca 1762. Sparsit in hac apologia Franciscus plures Alexandri Patris epistolas, aliaque scripta illius, quibus memoriam ejusdem ab aliorum accusationibus vindicare se posse putavit. Nos quoque Marchetti Italicas epistolas V. retulimus in vol. inscriptum: *Lettere inedite di Uomini illustri*, quod an. 1773. Florentiae editum est.

ANGELUS FABRONIUS

ANDREAE OSTILIO SUO S. P. D.

Haud ignoras, doctissime Ostili, laudationibus, quas illustribus Etruscis viris recentes quidam scriptores dederunt, factam esse nostrarum rerum historiam mendosiorem, quod multa scripta sint ab iis aut ficte, aut parum accurate, aut nullo rerum delectu habito. Equidem quamvis de multis clarissimis viris scribere mihi proposuerim, neminem tamen laudare decrevi, nisi quatenus res ipsa postulabit; ac si eos praedicare videbor, quorum facta commemorabo, illos res ipsae commendabunt magis quam oratio. Legi Pisis in amicorum corona quae de Jo. Baptista Ricciolio homine Jesuita scripto mandavi; extititque ex iis unus & alter, qui in me stomachum erumperent, querentes virum doctrina praestantem inique a me esse jactatum. At hi quidem soliti metiri omnia privato studio, non veritate (quod Jesuitarum fere o-

mnium vitium fuisse facile dixeris) simul atque audiunt esse qui libere de suis dicere audeat, odio id fieri clamant, omnique arte assentationem allectant atque invitant; & si quid reprehendendum duxeris, multis excusationum involucris, & quasi velis quibusdam obtendi id debere affirmant. Non equidem vereor ne quis forte miretur, quod me censoribus meis inexorabilem praebuerim, nihilque earum rerum aut detraxerim, aut immutaverim, quas me debere veritati in historia scribenda sum arbitratus. Possum profecto saepe uti excusatione temporis, quo perpaucis, praesertim religiosis hominibus apud nos licuit, omissis auctoritatibus, ipsa re & ratione exquirere veritatem; ac dolere, quod nimio systematum dominante studio, vix ullus rectae philosophandi rationi locus esse posset; quod in investigatione naturae saepissime referrentur omnia ad inquirentis sensus cogitationesque; quod opinionibus & conjecturis non solum imbecillis, sed cum falso incognitoque communibus facile plauderetur, dummodo cum perspecta re similitudinem quamdam haberent; & quod natura ab illa immensa, qua distinguitur, non tam rerum copia, quam agendi varietate in exiguum

angustumque concluderetur. Iisdem enim legibus, ut pauca exempli caussa ponamus, adstricta esse putabatur in animalium, plantarum, & metallorum ortu & progressu: una fere vox erat omnium cognitis mechanicae scientiae principiis facile ad calculum revocari posse vires animatorum corporum, quasi haec motu minime cierentur interiore & suo; dominari in ipsa natura & rerum potiri qualitates, ut vocant, quasdam occultas; & non solum quae in terra gignuntur, sed etiam quae accidunt mutationes, & humana pene omnia ab astrorum motu conjunctionibusque pendere. Multa quidem in investigatione rerum naturalium circumspicienda sunt ne quid offendas, ne quo irruas; nec idcirco quod quarumdam rerum vim & effectum vidimus, caussas nos quoque cognovisse existimare debemus. Ille profecto sapienter se geret, qui nihil praejudicati afferens, pauca sibi examinanda proponet; qui lente & patienter, ipsa duce experientia, procedet; qui centies, si opus esse videbitur, habita experimenta renovabit; qui rem cum re omni ex parte comparaverit; & qui ex hac comparatione ea concludet, quae cum sensibus veri nunciis rectaque ratione congruant. Hanc viam si tenuisset Ric-

diolius non tot quidem reliquisset volumina, sed melius tum gloriae suae, tum utilitati disciplinarum, quas excolendas susceperat, consuluisset. Itaque qui volunt me esse omnium factorum illius praedicatorem, reputent tantum dandum amicitiae, quantum veritas ac leges historiae patiantur. Haec te scire volui, amicorum optime ac suavissime, haud dubitans rationem meam tibi fore probatissimam. Non aeque fortasse a te probabuntur cetera omnia in hoc commentariolo contenta. Quapropter pro tua in me perpetua & maxima benevolentia, singularique doctrina adnotabis quae putaveris corrigenda. Ita enim magis credam reliqua tibi placere, si quaedam displicuisse cognovero. Vale.

Pisis Kal. Sept. MDCCLXXVII.

Jo. Baptista Ricciolius.

Jo. Baptista Ricciolius Ferrariae natus est an. MDXCVIII. loco honesto, & urbe non tum aedificiorum pulchritudine, quam omnis humanitatis & doctrinae cultu inter Italicas nobilissima. Ineunte adolescentia cum expolitus humanioribus litteris contento cursu ad majora studia properaret, gravissimum in morbum incidit, eumdemque diuturnum. Adducta res erat in maximum periculum, suadebantque medici ut dextrum crus gangraena affectum secaretur. Reminiscens illa quae in simili curatione perpessus fuerat S. Ignatius Loyola, hujus opem imploravit, ac vovisse dicitur si porro convalesceret sine chirurgiae subsidio, institutae ab eo Societati Jesu se nomen daturum. Res ex sententia processit, persolvitque votum Ricciolius Novellariae annos natus sex supra decem. Placentiae humanioribus studiis, Bononiae vero philosophiae, rei mathematicae atque theologicae sedulam

navavit operam. Post id eodem in loco jussus est tradere aliis, quae ipse feliciter didicisse putabatur, & Placentiae studiorum praefecturam per aliquot annos gessit. Consuluit utilitati eorum, quos in humanioribus litteris exercebat, cum an. MDCXXXIX. *prosodiam*, ut appellant, *Bononiensem* in vulgus edidisset. Quamvis leve hoc Ricciolii opus nonnullis videri possit, commemorandum tamen putavimus, quod magnos usus attulerit adolescentulis ad pangenda latina carmina. Quare minime est mirandum si iterum ac saepius in lucem sit editum. Sed fundamentum omnis commendationis & gloriae, quam reportavit Ricciolius doctorum judicio, iis constat operibus, quae ipsae Uraniae consecravit: nam illae mansuetiores Musae parum illius industriae faverunt. Plures iis temporibus adlaborabant in excolenda astronomia, nobilissimaque scientia a levitate praedictionum revocanda; idque conabantur doctissimi homines, ut e caelo novum, ut ita dicam, physicae genus in terram deducerent. Haec erant indicia solida & expressa fore ut brevi, quasi luce libertatis recreata, reviviscerent naturae

ſtudia; & nemo ſane ignorat quantum haec debeant Galilaeo, Keplero, Hugenio, Hevelio ceteriſque, qui cognitione rerum caeleſtium antecelluerunt. Non is quidem erat Ricciolius ut cum tantis viris contendere poſſet, quod praejudicati ſemper aliquid afferret, quod Jeſuitarum fere omnium vitium dixiſſes, ad inquiſitionem investigationemque veri, quodque ejus induſtria in plura ſtudia occupationeſque diſtracta erat; & quod demum in magna vi ingenii, qua pollebat, erat inconditum quiddam immoderatumque, a quo facile in errorem inducebatur. Nihilo tamen minus cum ad caeleſtium rerum contemplationem cura omni ſtudioque raperetur, adeo multa colligere potuit, & in lucem hominum emittere, ut inter claros ſuae aetatis aſtronomos merito quidem numeretur. Et ſane quis ſumens in manus illius *Almageſtum novum*, quod an. MDCLI. Bononiae vulgavit, non admirabitur operis fines prope immenſos, infinitatemque rerum, quas tractare ſibi propoſuit? Undique collectis & comportatis, quae ad aſtronomiam quomodocumque pertinerent, non modo Ptolemaeum ae-

quare, sed etiam superare voluisse videtur. Plurimum tamen absuit a summi hujus astronomi gloria. Nam Ptolemaeus in suo conficiendo Almagesto, & ordine admirabili, & momento judicioque summo collecta a sese ex pluribus quasi unum efficiens dispofuit: contra ea Ricciolius neque electe res coegit, neque prudenter junxit, neque diligenter digessit; & quamvis adlaboravit ut satietas varietate vitetur, ejusmodi tamen est opus, ut raro expleat desiderium intelligentis lectoris. Facile quidem dixeris fuisse vitium temporum illorum, ut homines toti essent in magnis conscribendis voluminibus, eorum pretium non judicio, electione, utilitateque rerum, sed copia, ipsorumque voluminum magnitudine metientes. Prior pars operis bina in volumina divisa est: haec consequi alia debebant duo, a quibus absolvendis (qua de caussa ignoro) abstinuit Ricciolius. Et incitamentum maximorum laborum ei quidem esse debebant praeconia, quae a multis reportavit; extititque vir sane doctissimus Petrus Gassendus, qui *Almagestum novum* omnis eruditionis astronomicae thesaurum appellare non dubitavit.

Quanquam non bene redegiſſe in ordinem ea, quae invenerat, nec horum modum noviſſe videtur Ricciolius, non tamen omnem diſpoſitionem neglexit, & unicuique libro (decem enim componitur prior pars operis) proprium argumentum attribuit. A ſphaera initium ſumit; inde ad ſolem & lunam, eorumque eclipſes gradum facit; tum de ſtellis fixis, de planetis, cometis, ſtelliſque novis agit; pluribus perſequitur quae ad totius mundi motus converſioneſque explicandas inventa ſunt ſyſtemata, magnoque conatu Copernicanum a Galilaeo renovatum convellere ſtudet: demum varia problemata aſtronomica examinat & ſolvit, quo in loco multa de refractionibus & parallaxibus dicuntur. Inanis & ſupervacanea videri poteſt longa deſcriptio omnium rerum, quas veteres excogitaverant aſtronomi, ut definirent orbes, per quos vagi planetarum motus fiunt, poſtquam Keplerus ſua jam inventa de elliptico eorum motu in lucem hominum protulerat, mirabiliterque confirmaverat. Sed Ricciolius, qui ad totam pertractandam aſtronomiam ſe dederat, non tam veritatem ſcientiae, quam errores hominum, ſuos

interdum etiam adjungens, qui illam excoluerant, sibi explicandos esse putavit. Illa pars operis, quae fixas enumerat, praecipua judicari potest, cum numerum observatarum ab Hipparco, Ptolemaeo, Tychone, Keplero, & Galilaeo centum & amplius auxerit. Quorum in locis definiendis quamvis non usus sit, aeque ac Tycho, perfectis instrumentis, simpliciora tamen & commodiora adhibuit, & quae ad subducendos calculos essent accommodatissima. Minime praetereundum est nonnullas stellas, quae distincte & accurate a Tychone observatae fuerant, ex hominum oculis postea se subtraxisse; sed etsi eas minime vidit Ricciolius, locum tamen iis suo in catalogo, perinde ac si vidisset, concessit. Gaudebat porro ille multa fluxisse de libris suis, quae astronomorum industriam excitarent atque adjuvarent; cumque sentiret plerisque mirabile videri a se patrocinium susceptum doctrinae de vero solis motu, cui bellum Galilaeus intulerat, non mediocrem curam operamque consumpsit, ut prolata a sese confirmaret. Sed uno praesertim argumento rem se conficere posse putabat, cujus haec erat

summa. Si circa suum centrum volveretur tellus, corpora gravia sponte decidentia motu ferrentur, qui ex circulari uniformi, & ex rectilineo aequabiliter accelerato existeret; sicque ferrentur per curvam, in cujus quodlibet puncto eamdem fere velocitatem haberent, ita ut nunquam acceleratio per sensum deprehendi posset. Ex quo fieret, ut ex quavis altitudine corpus caderet, eadem semper esset percussionis vis, eademque semper impressio. Id enimvero contra omnia experimenta diceretur: non ergo tellus motu rotationis ad proprium circumagi centrum dicenda est. Hujus argumenti levitas quoniam confutata plane est ab Alphonso Borellio & Stephano de Angelis, minime desiderare videtur orationem meam. Nunquam dicendi finem facerem, si exponere vellem, quid quaque de re certi habuerit Ricciolius: praeterquamquod nihil esset quod tam difficile expedire possemus, adeo multae & variae, & interdum etiam inter se diffidentes sunt illius opiniones. Accidit etiam ut inventam a se veritatem rejecerit. Sic, ut unam rem exempli caussa ponamus, cum vel ante Hevelium

novisset in luna illud librationis genus, quod *in longitudinem* vocant astronomi, cuique caussam praebet inaequalitas motus ipsius planetae in suo orbe, minime in ista sententia suis deceptus observationibus perseveravit, quam postea libentissime Hevelius ipse, Newtonus, & Cassinius amplexi sunt, & mirifice comprobarunt. Priusquam de Almagesto dicendi finem faciam commemoranda putamus, quae lib. V. innuit Ricciolius de usu cujusdam crucis geographicae. Sic enim appellavit machinam a se inventam, quae duabus in crucis formam compactis regulis componitur. Harum altera meridianum circulum, altera, quae binas utrinque laminas in modum latini contortas sigmatis sustinet, aequinoctialem repraesentat. Crucem hanc si geographicae mappae aptaveris ex congruenti laminarum ad meridianum inclinatione facile cognosces quae pro vario locorum situ hora horae respondeat, & quibus eodem momento temporis sol oriatur atque occidat populis; & quibus demum solis & lunae defectus aut omnino, aut nihil, aut initium tantum, aut finis eorum appareat. Hac inventa ma-

china, de qua librum vulgavit Ricciolius an. MDCXLIII. gloriari videbatur se alas dedisse geographiae studiosis, quibus per omnes torridae ac temperatarum zonarum regiones facillime celerrimeque volare possent (1). Dedit quidem operam tota vita Ricciolius, ut geographorum scientiam proveheret; & quod ei res mathematica & astronomica maxime inserviunt, junxit has disciplinas arte & prudentia minime vulgari. Cui rei testimonio esse possunt XII. quos conscripsit ediditque an. MDCLXI. libri *de geographia & hydrographia reformata*. Porro, ut de opere jam dicere instituam, quidquid ad geographiam pertinens in libris antiquorum invenitur, rimatur, examinat, & expolit Ricciolius. Hinc de mensuris metiendique modis plura tradit, multusque est in definiendis locorum tum latitudinibus, tum longitudinibus, qua occasione celebriora antiquorum & recentiorum itinera recenset. Varias discrepantesque doctorum hominum sententias de terrae magnitudine dinumerat, & quid hac de re ipse certi haberet, postquam multa laboriose sane exquisierat, exponit. Rejectis igitur, quae tradiderat in libro II. Alma-

(1) Vid. lib. XII. Geog. Ref.

gesti, definire se posse putavit gradum unum meridiani circuli continere millia passuum Bononiensium sexaginta quatuor supra trecentos triginta sex. Sed quaestionem, quam confecisse se arbitrabatur Ricciolius, vix attigit. Deerant enim iis temporibus instrumenta, quae ad rem perdifficilem inveniendam sunt necessaria; deerant notitiae earum virium, quibus rerum corporearum universitas omnis regitur. Earum porro leges cum essent inventae, Newtonus feliciter uti potuit Norwoodi observationibus ad axium proportionem definiendam in tellure, quam ex conversione diurna, gravitateque generali compressam esse divina quadam ingenii solertia collegit. Nemo autem ignorat, quam intersit terrae formam cognoscere, ut de ejus magnitudine exquisito judicio judicari possit. Sed laudandus est Ricciolius, quod maxime se applicuerit ad rem, ex cujus inventione magna ad physicam, astronomiam, geographiam, & nauticam fieri debebat accessio. In hac quoque re desudavit & elaboravit Snellius, & quanquam a vero non multum abfuit, ejus tamen labor in multorum & Riccioli praesertim reprehensiones in-

cur-

currit. Sic cum diutius inter ſe diſſenſiſſent ac diſputaſſent aſtronomi, factum eſt tandem & liberalitate Ludovici XV. & ſapientia Pariſienſium Academicorum, qui ad arcus meridiani circuli maxime diſſitos dimetiendos miſſi fuerunt, ut quaeſtio graviſſima ſi non plane, magna tamen ex parte confecta eſſe videretur. Quae de nauticis & hydroſtaticis rebus ſcripſit Ricciolius oſtendunt quidem fuiſſe hominem multarum diſciplinarum peritum, ſed ex iis vix quidquam ſumpſeris quod aut involutarum rerum notitiam aperiat, aut quod habeat uſum inſignem & illuſtrem. Quod obtinere ii debent, quibus propoſitum eſt non modo omnium philoſophorum ſententias in medio ponere, ſed etiam de iis judicare, & in magna doctorum hominum diſſenſione quid ipſi probent exponere. Rationes autem eas, quae a Ricciolio afferrebantur, ſi quis non ſatis firmas putaſſet, ſic a viro fervidi ingenii, & inurbano in certamen evocabatur, ut nihil acrius; diſputavitque aliquando publice cum Jo. Dominico Caſſinio & Petro Mengolio de montium altitudine, quorum nonnullos multis millibus paſſuum eminere exiſtima-

bat. Eodem tempore, quo geographiam & hydrographiam illustrandam susceperat Ricciolius, cum opera tum animo multo magis erat distentus de astronomia corrigenda atque amplificanda, adjuvante maxime collega suo Francisco Maria Grimaldio. Tanta erat inter eos, quanta maxima esse potest, studiorum conjunctio, quod quidem homines, si qui unquam alii industrii, faciebant & hominum utilitatis, & communis gloriae caussa. Optasset Ricciolius sibi quoque adjungere Jo. Dominicum Cassinium; sed se implicare Jesuitarum societati noluit homo, ipsa fama, quae de sua doctrina percrebuerat, magnos jam honores assecutus. Iis tamen haud mediocria attulit adjumenta vel propriis impertitis observationibus, vel constructa Bononiae meridiana linea, quam haud immerito dixeris omnium astronomicorum instrumentorum praeclarissimum, & ipsius civitatis decus atque ornamentum. Prodiit in lucem Riccioli opus an. MDCLXV. cum hac inscriptione *Astronomia reformata*, illudque bina in volumina distribuit. Horum primum prolegomena continet, quae quasi sedem & fundamentum universae reformandae perficien-

daeque astronomiae esse putavit Ricciolius. Id enim praesertim agit, ut explicet statum hujus totius mundi atque naturae, qua de re non aliorum modo hypotheses examinat, sed & suas Auctor profert, quas quidem ad omnia caelestia explicanda phaenomena accommodatissimas esse dicit. Dum subtiliter & copiose disputat de Kepleri, Galilaei, aliorumque recentiorum inventis, ridere videtur homo novitati inimicus eos, qui ea non posse convelli putabant. Ridendus ille potius, qui magno labore pugnat & enititur, ne homines veritati, sed suis potius hypothesibus, in quibus tamen excogitandis singulare acumen ostendit, assentiantur. Jactavit se in tabulis conficiendis, earumque usu & ratione conficiendarum declaranda, quae praecipua est materies voluminis II. Tabula XCVIII. ac cetera, quae ad stellas fixas pertinent, magnam sane gloriam tum Ricciolio, tum Grimaldio conciliarunt, quod & observationes aliorum correxerint, & novi plurimum ipsi attulerint. Nunquam vero satis laudari potest horum hominum singularis industria, qui cum primi intellexissent bene posse definiri rectas, ut a-

junt, ascensiones fixarum ope oscillantis penduli, id assecuti sunt, suspensa trabi ferrea catena, in cujus extremo magnum ferri pondus alligaverant. Habebat Grimaldius praesertim ubi ostentaret illam praeclaram suam patientiam, singulas penduli oscillationes numerando usque ad eum finem, dum fixa aliqua diurnam suam conversionem absolveret. Non superiores modo astronomos, sed & se ipsum interdum correxit Ricciolius, quaedam retractando, quae se minus vere scripsisse in *Almagesto novo* deprehenderat. Ex horum numero sunt, quae ad refractiones pertinent; quanquam non plane se docilem praebuit ad Cassinii sententiam, ex quo factum est ut refractiones fixarum minores esse putaverit solaribus, has vero lunaribus, qua de re ab ipso Cassinio jure meritoque coarguitur. Sed quoniam infinitum esset de singulis dicere, hoc unum statui posse videtur de astronomicis Ricciolii scriptis (quod judicium quoque fuisse Eustachii Manfredii scimus) illa quidem suppeditare multa & curiosa & recondita illis, qui scientiae historiam noscere cupiunt, non item iis, quibus propositum est ad ejusdem scien-

tiae myſteria penetrare. Inter haec Ricciolius defenſionem ſuſcepit *Correctionis Kalendarii Gregoriani*, cujus tum oppugnator erat Franciſcus Levera, vir aſtronomiae & chronologiae minime imperitus. Res erat & multum & ſaepe quaeſita an Clavianae epactae, & tabulae aequationis adverſarentur non modo Aloyſii Lilii & Gregorii XIII. ſenſibus, ſed & conſenſui chriſtiani orbis, caeleſtibus motibus, & ipſius Nicaenae ſynodi decretis; quapropter a Romanis Pontificibus poſtularunt multi, ut emendato iterum Kalendario, de rite celebrando Paſchate ab iis decerneretur. Profecto ſi ad celeberrimam illam Kalendarii correctionem minime adhibitus homo Jeſuita fuiſſet, facile pauca quaedam, quae irrepſerant, vitia emendari potuiſſent; ſed quoties res agitari coepta, artes Jeſuitarum effecerunt, ne quid mutaretur vel contra ſummorum aſtronomorum Caſſinii, Maraldii, Blanchinii & Manfredii ſententias. Haud igitur probari potuerunt viris chronologicae rei conſultiſſimis argumenta, quae pro Clavii defenſione attulit Ricciolius, quanquam ipſe gloriari viſus fuit, ſe rem multum agitatam requiſiiſſe diligentius Patavio &

Guldinio, & evidentius expediiſſe. In omni materia, quam tractaret, & in qua verſaretur Ricciolius ſe perſpicere quid verum eſſet facile ſibi perſuadebat; & quaſi nobiliores ſcientiae opera illius indiguiſſent, quidquid ad aſtronomiam, geographiam, & chronologiam pertinens in vulgus emiſit, id hujuſmodi eſſe, ambitioſe ſane, dicebat, quod maxime cum gloriae ſuae, tum earumdem diſciplinarum rationibus conduceret. Itaque minime mirandum eſt, ſi vel poſt magnos & glorioſiſſimos labores, quos conſumpſerunt Scaliger & Petavius in rebus chronologicis, ſe tamen chronologiae reformatorem praedicaret. Edidit enim an. MDCLXIX. *de reformata chronologia* libros tres, quorum alter doctrinam temporum, alter magnum & ſelectum chronicon, tertius demum catalogos plures perſonarum rerumque inſignium complectitur. De veteri aſtronomia, annorumque ratione ac diſcrimine multa profert Ricciolius, collatiſque exterarum gentium annis, menſibus, & diebus cum latinis & cum chriſtiana epocha, tabulas confecit, ex quibus quidquid in Graecia, Aegypto, Perſia, aliiſque prae-

cipuis regnis ac provinciis contigit, quo tempore vel ante vel post Christi ortum evenerit, cognoscitur. Declarat autem se sine veterum auctoritate nihil statuere, & duce astronomia, & antiquorum astronomorum observationibus multa, quae erant obscura, ambigua, atque etiam ignota patefecisse. Sed ipse interdum incerta pro certis habet, & cum saepe accidat in hujusmodi rebus, ut nihil constitui possit, quod non incurrat in magnas difficultates, has non semper videt, nec vitat, aut imminuit Ricciolius. Multa etiam, quae videbantur aut opportuna aut necessaria praetermittit, aut leviter tangit, & in Graecorum Latinorumque cyclis exponendis explorandisque nihil dixit reconditum, nihil expectatione, quam commoverat, dignum. Si quis autem legat opus omnium fortasse in hoc rerum genere maximum, quod de cyclis Dodvellus conscripsit, facile intelliget quantopere absuerit Ricciolius ab ea gloria, quam se assecuturum sperabat; mirabiturque, postquam in tantis tenebris erroris & inscitiae clarissimum lumen praetulerunt Scaliger & Petavius, extitisse, qui in ea parte, quae ad graecos la-

tinosque cyclos ſpectat, vel eos ipſos antever-terit, quorum aemulari optabat gloriam. Poſtulabant multi a Ricciolio, ut adhiberet ad conſiderandus res & tempus & diligentiam, ſed ipſe impetu quodam mentis & voluntate rapiebatur ad abſolvendum, quod inſtituerat, quam ob cauſſam non modo a doctis hominibus cenſuram, ſed etiam a potentibus, quorum ambitionem laeſerat, dum veritati in hiſtoria conſcribenda ſervire ſe putavit, animadverſionem & caſtigationem ferre debuit. Traxit moleſtiam ex aliis quoque operibus Ricciolius, & ex illo praeſertim, quod *de Conceptione Virginis Mariae* conſcripſit, quae molliter, homo religioſus tulit, quod illa ſe debere veritati putavit. Minime vero ipſum poenituit pro ratione temporum illud eſſe molitum, ut cum aſtronomiae ſtudiis, quae multis ſuſpecta erant, theologicas ſcriptiones conjungeret, ex quibus magnum aliquid & ad ſuam gloriam, & ad retundendos malevolorum ſermones ſibi obventurum eſſe confidebat. Accurate & ſubtiliter ad Scholaſticorum morem diſputavit *de diſtinctionibus entium in Deo & creaturis*; & quaedam ad Evangelia & Sanctorum cultum

ſpectantia in vulgus edidit, quae excellentem hominis in Deum pietatem declarant. Sic in continuo labore corporis, & animi contentione vitae ſuae curſum confecit Bononiae Ricciolius VII. Kal. Quint. an. MDCLXXI. cum complevisset annos tres ſupra ſeptuaginta.

OPERA EDITA.

Proſodia Bononienſis. Edita primum ſine auctoris nomine fuit an. 1639. Prodiit poſtea cum hac inſcriptione. *Proſodia Reformata duobus tomis comprehenſa &c. auctore Jo. Baptiſta Ricciolio S. J. Bononiae* 1655. *in* 12.

Crucis Geographicae fabrica & uſus cum tabula omnium eclipſium uſque ad annum 1700. *Bononiae* 1643. *in fol.*

Almageſtum novum aſtronomiam veterem novamque complectens obſervationibus aliorum & propriis, noviſque theorematibus, problematibus ac tabulis promotam &c. Bononiae ex typographia Haeredis Victorii Benatii 1651. *Tom. I. & II. in fol.*

Geographiae & hydrographiae reformatae lib. XII. Bononiae ex typographia Benacii 1661. *in fol.*

Aſtronomiae Reformatae Tomi II. quorum prior obſervationes, hypotheſes & fundamenta tabularum; poſterior praecepta pro uſu tabularum aſtronomicarum & ipſas tabulas aſtronomicas CII. continet. Bononiae 1665. *in fol.*

Vindiciae Kalendarii Gregoriani adverſus Franciſcum Leveram. Bononiae 1666. *in fol.*

Evangelium unicum ex ipſis verbis IV. Evangeliſtarum; Bononiae 1667. *in* 12.

Immunitas ab errore tum speculativo quam practico definitionum Sanctae Sedis Apostolicae in canonizatione Sanctorum, institutione Festorum Ecclesiasticorum, & decisione dogmatum, quae implicite tantum in verbo Dei scripto vel tradito continentur. Bononiae 1668. in 4.

Argomento Fisico-matematico del P. Gio. Batista Ricciòli contro il moto diurno della terra confermato di nuovo con l' occasione della risposta alle considerazioni sopra la forza di detto argomento fatte dal P. Stefano de Angelis &c. Bologna 1668. in 4.

Apologia pro argumento physico &c. Venetiis 1669.

Chronologiae Reformatae & ad certas conclusiones redactae Tom. III. Bononiae 1669. *ex typ. haeredis Dominici Barberii in fol.*

De distinctionibus Entium in Deo & Creaturis. Bonon. 1669. in fol.

Epistolae Jo. Dom. Cassino adversus Prodromum Francisci Leverae. Scripsit eadem de re Cassinius ad Ricciolium; utriusque vero epistolas confutandas suscepit Levera Dialogo quodam Romae edito an. 1664. typis Angeli Bernabò in fol., cujus auctorem fuisse fingit Savinium Mutum. Disputabatur praesertim de observationibus habitis a Cassinio in novo Gnomone Bononiensi ab illo constructo, quarum auctoritatem imminuere conabatur Levera; nec non de variis celebrioribus epochis, quas, duce maxime Ptolemaeo, definire se posse putaverat Ricciolius.

Francisci Mariae Grimaldi vita. Extat in fine operis ejusdem Grimaldii, quod inscribitur: *Physico-mathesis de lumine, coloribus & iride &c. Bononiae* 1665.

Epistolae de cometis an. 1664. & 1665. *conspectis. Lugduni Bat.* 1681. in fol.

INDEX

RERUM NOTATU DIGNIORUM QUAE IN SECUNDO VOLUMINE CONTINENTUR.

A

B

E

F

G

H

I

K

L

Alma-



ERRATA			CORRIGE
Pag 48.	l. 13.	Burgundiam	Comitatum Burgundiæ
52.	6	nubendi	nubendi venia
156.	11.	pacatior	paratior
237	13.	ſatisfeceret	ſatisfaceret
264.	6.	requirentur	requirerentur
281.	4.	afferet	affert
332.	3	MDDLIX.	MDCLIX.
348	5.	ab	ad
360.	16.	ipſæ	ipſe